Corsenn, Arthur
Quaestiones Theognideae

Quaestiones Theognideae.

scripsit

Arthur Corsenn.

(Wissenschaftliche Beilage zum Programm des Progymnasiums und der höheren Bürgerschule zu Geestemünde. Ostern 1887.)




Leipzig.

Druck von Julius Klinkhardt.

1887.

1887. Progr. Nr. 285.


LIBRARY
729513
UNIVERSITY OF TORONTO

Collectionem carminum amatoriorum, quae inscripta „*ἐλεγείων β*“ in solo codice Mutinensi Theognidis reliquiis addita est, antequam Bekker. initio hujus saeculi edidit, omnino umquam exstitisse nemo habuit cognitum. Nam nullum exstat scriptorum veterum hisce de poëmatis apertum testimonium, nullum distichon legitur apud florilegiorum auctores, quod ex his versibus sit receptum, ne Anthologia quidem Palatina continetur ullum epigramma, quod in hac collectione inveniatur. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin omnia fere, quae ad horum versuum originem rationemque pertineant, ex eis ipsis eruantur. Inscriptione vero „*ἐλεγείων β'*“, quae sine dubio referenda est ad Theognideorum librum, qui in codice Mutinensi „*Θεόγνιδος ἐλεγείων α'*“ inscribitur, certam quandam sive exteriorem sive interiorem rationem intercedere alteri cum altera collectione efficitur. De hac igitur ratione accuratius quaerere mihi proposui. Atque ita quidem quaestionem absolvere studebo, ut primo capite omnes tractem res, quibus quomodo appendix comparata sit, illustretur, deinde quid ex eis rebus efficiatur ad rationem appendici cum Theognideis intercedentem ejusque originis tempus, secundo comprehendam.*

* Usus sum editionibus et commentationibus his: Welcker, Theognidis reliquiae. 1826; Hartung, Die griechischen Elegiker. Leipzig. 1859. vol. 1. Ziegler, Theognidis elegiae, Tubingae. 1880. ed. II. Sitzler, Theognidis reliquiae. Heidelbergae. 1880. Bergk, Poetae lyrici Graeci ed IV. Lipsiae. 1882. vol. II. — C. Rintelen, De Theognide Megarensi poeta. Diss. in. Monasterii. 1863. C. Müller, De scriptis Theognidis. Diss. in. Coronae Germanorum. 1876. Rich. Kuellenberg, De imitatione Theognidea. Diss. in. Argentorati. 1877. H. Schneidewin, De syllogis Theognideis. Diss. in. Argentorati. 1878. — van der Mey, Studia Theo-

I.

Incipit appendix (vv. 1231—4) ab invocatione Amoris dei, cujus temeritate quot homines perierint, tribus exemplis de antiquis fabulis repetitis illustratur. Quod carmen cum argumento haudquaquam ineptum sit, optime praemitti poterat poemati amatorio vel ejusmodi poematum collectioni. Comparandi sunt cum eo Apollonii Rhodii Argonauticorum libr. IV vv. 445—7:

σχέτλι᾽ Ἔρως, μέγα πῆμα, μέγα στύγος ἀνθρώποισιν
ἐκ σέθεν οὐλόμεναι τ᾽ ἔριδες στοναχαί τε γόοι τε,
ἄλγεά τ᾽ ἄλλ᾽ ἐπὶ τοῖσιν ἀπείρονα τετρήχασιν.

Utriusque loci tanta est similitudo, ut alterum ex altero non pendere aut certe rationem quandam alteri cum altero non intercedere vix cogitari possit. Apollonium vero auctorem ejus de quo dicimus carminis aut vice versa hunc illum imitatum esse neque exemplis neque aliis rebus probare possumus; immo neutrum factum esse ex eis, quae infra sum

---

gnidea. Leidae. 1869. H. van Herwerden, Animadversiones philologicae ad Theognidem. Trajecti ad Rhenum. 1870. Renner, Über das Formelwesen im griechischen Epos und epische Reminiscenzen in der ältern griechischen Elegie. Lipsiae. 1872. W. Hertzberg, Der Begriff der antiken Elegie in seiner historischen Entwickelung, Literarhistorisches Taschenbuch, herausg. von R. E. Prutz, 1845. 3. Jahrgang. Nietzsche, Zur Geschichte der Theognideischen Spruchsammlung. Rheinisches Museum. 1867. vol. XXII. Leutsch, Philologus. vol. XXIX. XXX. Fritzsche, Das Stichwort als Ordnungsprincip der Theognideischen Fragmente. Philologus. XXIX. Hiller, Zu Theognis. Fleckeisens Jahrbücher. 1881. vol. 123. Ulr. Köhler, Eine Illustration zu Theognis. Mittheilungen des deutschen archäologischen Instituts in Athen. 9. Jahrgang. 1884. pg. 1—4. Taf. I. Cum opusculum jam confecissem, mihi in manus venit commentatio Augusti Couat, inscripta „Le second livre d'élégies attribué à Théognis" et inserta: Annales de la faculté des lettres de Bordeaux. 1883. vol. V. pg. 257—290. Vertit homo doctissimus cap. I. in sermonem francogallicum singula appendicis poematia, cui versioni adnotationes criticas et exegeticas addidit; cap. II. fusius retractavit quaestionem illam, utrum appendice continerentur carmina Theognidis genuina an non, deinde plurima carmina esse imitationes vel parodias versuum Theognidis judicavit; denique cap. III. de auctore disputavit et versus Byzantinorum temporibus exortos esse arbitratus est. Cum igitur tempus me deficeret, sententiam meam de hoc libello alio loco publici juris faciam.

demonstraturus, apparebit. Ita fieri non potest, quin utrique poetae eundem antiquioris locum simillimum in mente fuisse censeamus. Quae res etiam probabilior fiet, si auctorem carminem appendicis antiquiorum poetarum et epicorum et elegiacorum poemata cum novisse tum in usum suum convertisse — id quod Apollonium fecisse satis constat — ostendi potest.

Versui 1233 similis est libri prioris v. 1137, quod attinet ad rhythmum et ad figuram anastrophen:

ᾤχετο μὲν Πίστις, μεγάλη θεός, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν Σωφροσύνη.

Praeterea moneo similia atque illud *ὤλετο — σῇσιν ἀτασθαλίαις* saepe apud Homerum inveniri, e. c. Δ 409:

κεῖνοι δὲ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο.

Vox *ἀτασθαλία* in fine hexametri legitur etiam v. 754:

σώφρονα θυμὸν ἔχων ἐκτὸς ἀτασθαλίης.

Jam sequitur carminum series amatoriorum, quae ad puerum condita sunt. Atque primo quidem (vv. 1235—8) poeta a puero petit, ut se audiat neve sibi desit. v. 496 adjectivum *ἄχαρι* in eadem versus sede positum est:

χοὔτως συμπόσιον γίνεται οὐκ ἄχαρι.

Totus vero pentameter 1238 exstat in libro priore, v. 1086:

Δημῶναξ, σοὶ πολλὰ φέρειν βαρύ· οὐ γὰρ ἐπίστῃ
τοῦθ' ἕρδειν, ὅ τι σοι μὴ καταθύμιον ᾖ.

Similes quoque sunt vv. 1095, 6:

Σκέπτεο δὴ νῦν ἄλλον· ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη
τοῦθ' ἕρδειν·

denique vv. 689, 90:

Οὐ χρὴ πημαίνειν ὅ τι μὴ πημαντέον εἴη
οὐδ' ἕρδειν ὅ τι μὴ λώιον ᾖ τελέσαι.

praeterea *ἀνάγκη* in fine v. 195:

εὔδοξος κακόδοξον, ἐπεὶ κρατερή μιν ἀνάγκη ἔντυνει.

cf. v. 387:

βλάπτουσ' ἐν στήθεσσι φρένας κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης·

v. 419:

Πολλά με καὶ συνιέντα παρέρχεται· ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης σιγῶ.

Apud Homerum *ἀνάγκη* semper fere locum suum habere in fine hexametri docet Renner, c. l. pg. 68.

Quae deinde sequuntur carmina usque ad v. 1252, argu-

mentorum quadam similitudine inter se conjuncta sunt: dicitur enim de amicitia, quae poetae est cum puero amato. In codice legitur post v. 1238 distichon, quod etiam in libro priore exstat vv. 1151, 2. Hoc vero loco additum est distichon alterum, quod, ut Bergk. recte adnotavit, manifestum est arctissima necessitudine cum illo junctum esse, quia *λέξουσι* ad *δειλῶν ἀνθρώπων* est referendum. Num autem, quae Bergk. ex ea re concluserit, recte se habeant, infra nobis quaerendum erit. Ad sententiam vv. 1239, 40 conferri potest v. 414:

ὥστ᾽ εἰπεῖν δεινὸν ἔπος περὶ σοῦ.

et vv. 795, 6:

δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν
ἄλλος τίς σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ.

Praeterea adjectivum *μάταιον* eodem versus loco invenitur v. 487:

ἢ παρεὼν μὴ πῖνε· σὺ δ᾽ ἔγχεε, τοῦτο μάταιον
κωτίλλεις αἰεί (hoc quoque loco cum verbo dicendi conjunctum); et v. 507:

καὶ νόον ἐν στήθεσσι· δέδοικα δέ, μή τι μάταιον
ἔρξω.

Denique eadem verbi *συνίημι* constructio atque hoc loco legitur v. 565:

τοῦ συνιεῖν, ὁπόταν τι λέγῃ σοφόν, ὄφρα διδαχθῇς.

Ad vv. 1241, 2 haec fere afferenda sunt: forma *χαιρήσεις* etiam v. 992 in initio posita est:

ἄλλοτέ τοι πάσχων ἀνιήσεαι, ἄλλοτε δ᾽ ἔρδων
χαιρήσεις·

casus obliquus vocis *φιλότης* in fine v. 1091:

ἀργαλέως μοι θυμὸς ἔχει περὶ σῆς φιλότητος·

cum priore pentametri parte comparari potest v. 528:

τοῦ μὲν ἐπερχομένου, τῆς δ᾽ ἀποτισαμένης·

posterior pentametri pars fere eadem legitur v. 504:

οἶνος, ἀτὰρ γλώσσης οὐκέτ᾽ ἐγὼ ταμίης·

similis est v. 1184:

ἀνδράσιν, οἳ τούτων ἀμφοτέρων ταμίαι.

V. 1243 fere idem est atque v. 597, ibi enim exstat:

Δὴν δὴ καὶ φίλοι ὦμεν· ἀτάρ τ᾽ ἄλλοισιν ὁμίλει
ἀνδράσιν, οἳ τὸν σὸν μᾶλλον ἴσασι νόον.

Discrepat igitur v. 1243 a v. 597 eo tantum, quod pro *ἀτάρ τ᾽* legitur *ἔπειτ᾽*.

Ad verba *ἦθος ἔχων δόλιον* affero libri prioris v. 122:

ψυδρὸς ἐών, δόλιον δ᾽ ἐν φρεσὶν ἦτορ ἔχῃ.

Distichon, quod sequitur (vv. 1245, 6), simile est multorum, quae in libro priore leguntur, atque ea quidem re, quod habet vim gnomicam, quae dicitur, et eodem fere modo atque multa illa factum est. Est enim poeseos gnomicae proprium, ut cum sententia uno disticho absolvatur, atque ita quidem, ut prior sententiae pars quattuor primos hexametri pedes, posterior cetera expleat, prior pars sit locus quidam communis, quo poeta utatur ad sententiam posterioris partis magis illustrandam. Exempla similia affero haec:
vv. 955, 6:

Δειλοὺς εὖ ἕρδοντι δυὼ κακά· τῶν τε γὰρ αὐτοῦ
χηρεύσει πολλῶν, καὶ χάρις οὐδεμία·

vv. 1169, 70:

Ἐκ καχεταιρίης κακὰ γίνεται· εὖ δὲ καὶ αὐτός
γνώσῃ, ἐπεὶ μεγάλους ἤλιτες ἀθανάτους·

vv. 1179, 80:

Κύρνε, θεοὺς αἰδοῦ καὶ δείδιθι· τοῦτο γὰρ ἄνδρα
εἴργει μήθ᾽ ἕρδειν μήτε λέγειν ἀσεβῆ.

Praeterea cum verbis *οὔποθ᾽ ὕδωρ καὶ πῦρ συμμίξεται* comparari potest v. 961:

νῦν δ᾽ ἤδη τεθόλωται, ὕδωρ ἀναμίσγεται ἰλυῖ.

Ad proximum distichon (vv. 1247, 8) affero vv. 325—7:

εἴ τις ἁμαρτωλοῖσι φίλων ἐπὶ παντὶ χολῷτο,
οὔποτ᾽ ἂν ἀλλήλοις ἄρθμιοι οὐδὲ φίλοι
εἶεν. ἁμαρτωλαὶ γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἕπονται etc.

Verba *ἴσθι δὲ θυμῷ* esse formulam epicam monet Renner., c. l. pg. 43.

Sequitur vv. 1249—52 poematium, quo puer cum equo comparatur. Poeta, quisquis fuit, in animo habuit locum Homeri*, ubi Paris comparatur cum equo, qui postquam diu ad praesaepe hordeo pastus est, vinculo fracto per campum

---

* cf. *Z* 506 ff:

ὡς δ᾽ ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ,
δεσμὸν ἀποῤῥήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
εἰωθὼς λούεσθαι εὐῤῥεῖος ποταμοῖο,
κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις ἀίσσονται· ὁ δ᾽ ἀγλαΐηφι πεποιθώς,
ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ᾽ ἤθεα και νόμον ἵππων
ὣς υἱὸς Πριάμοιο Πάρις etc.

currit et petit pascuos equorum agros. Eodem modo hoc loco puer amatus ab amatore comparatur cum equo, qui postquam aliquod tempus ad praesaepe pastus et satiatus est — nam id indicatur verbis ἐπεὶ κριθῶν ἐκορέσθης — ut est natura fortis, ad praesaepe, ut locum se indignum, manere noluit atque eo se contulit, ubi invenit bonum moderatorem atque pratum pulchrum et fontem frigidum et lucum umbrosum; ita etiam puer amatus, postquam aliquamdiu in cotidiana atque vulgari vita vixit, rediit ad amatorem, qui ei omnes, quascunque potest, voluptates praebet. Ita mea quidem sententia carmen explicandum est; neque Bergk., qui post v. 1249 lacunam statuit, neque Sitzler., nuperrimus Theognideorum editor, carmen recte intellexerunt. Iterum, etsi alio modo, puer et equus inter se comparantur vv. 1267—70, quos cum vv. 1249—52 necessitudine quadam esse conjunctos ex verbis κριθαῖσι κορεσθείς facile intellegi potest. —

Series illa carminum, quae ad puerum condita sunt, v. 1253 interrumpitur disticho, quod Solonis esse Hermias testatur in Platonis Phaedro (pg. 78, ed. Ast); ei autem additum est alterum distichon ejusdem sententiae eisdem fere verbis expressae, quod sine illo ne confici quidem potuisse, recte Rintelen. judicavit. Itaque Bergk. olim dubitanter conjecerat, Soloni utrumque distichon esse tribuendum; quod Hartung. et H. Schneidewin. probaverunt. Sed quod Bergk. pg. 49 (ed. IV) concessit, posse alterum distichon etiam alius poetae esse, id quin unice verum esset, si pro „posse" scripsisset „debere", mea quidem sententia dubitari non potest. Est enim alterum distichon nihil nisi jejuna eorundem fere verborum, ejusdem sententiae repetitio, Solone, poeta celeberrimo, haudquaquam digna. Immo potius ex eo intellegi potest, qua ratione is, qui appendicem hanc confecit, usus sit. Inseruit collectioni suae distichon Solonis (quod nescio unde desumpserit), et altero disticho statim addito illius sententiam variavit et illustravit. Sic etiam Hiller. (c. l. pg. 470) rectissime judicavit: „dieses aber hat der Dichter nur mitgetheilt, um es alsdann in dem darauf folgenden Distichon mit negativem Ausdruck zu variieren." Sed quaenam est causa, cur hoc ipso loco haec duo disticha inserta sint, cum argumentis inter se similia sint et versus qui antecedunt et ei qui sequuntur, horum autem distichorum, quae ne ad puerum quidem scripta sunt, sed sententias in

universum dictas continent, argumentum ab illis plane diversum sit? At cum pluribus aliis appendicis locis eadem res inveniatur, antequam totam collectionem contemplati erimus, certam de hac re judicium facere non possumus.

Verba *ἐν εὐφροσύνῃ* in fine v. 1256 etiam leguntur v. 776:

τῆσδε πόλεος, ἵνα σοι λαοὶ ἐν εὐφροσύνῃ.

cf. v. 1068:

τερπωλῇ νικᾷ πάντα σὺν εὐφροσύνῃ.

Versus, qui sequuntur (vv. 1257, 8) haud parvas praebent difficultates, quas omnes hoc loco tractare longum est. Satis est ad rem propositam commemorare similitudinem quandam huic disticho intercedere cum libri prioris vv. 213—18:

Κύρνε, φίλους κατὰ πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος,
ὀργὴν συμμίσγων ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.
Πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ,
τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.
νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος χρόα γίνου.
Κρέσσων τοι σοφίη γίνεται ἀτροπίης.

et cum vv. 1071—4:

Κύρνε, φίλους πρὸς πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος
συμμίσγων ὀργὴν οἷος ἕκαστος ἔφυ.
νῦν μὲν τῷδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν.
Κρέσσων τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς.

Ad verba *ἄλλοτε—ἄλλοτε* affero v. 158:

ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε μηδὲν ἔχειν.

Adjectivum *πολύπλαγκτος* saepius apud Homerum in eadem versus sede positum invenitur; cf. Renner c. l. pg. 54.

V. 1262 fere idem est atque 1152, nisi quod pro *ἄλλων* habet *δειλῶν*. Praeterea ad vv. 1259—62 haec afferenda sunt: Formae quaedam verbi *ἐπικεῖσθαι* in fine hexametri etiam leguntur v. 19:

Κύρνε, σοφιζομένῳ μὲν ἐμοὶ σφρηγὶς ἐπικείσθω
τοῖσδ' ἔπεσιν.

deinde v. 421:

Πολλοῖς ἀνθρώπων γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται
ἁρμόδιαι·

cf. v. 685:

ἔρδειν δ' ἀμφοτέροισιν ἀμηχανίη παράκειται.

στέφανον in fine pentametri etiam v. 828:

ξανθῇσίν τε κόμαις πορφυρέους στεφάνους.

Ad verba *ἔχεις ἐν φρεσὶν ἦθος* conferendi sunt hi vv: v. 965:

πολλοί τοι κίβδηλον ἐπίκλοπον ἦθος ἔχοντες.

v. 122:

ψυδρὸς ἐών, δόλιον δ' ἐν φρεσὶν ἦτορ ἔχῃ·

v. 135:

οὐδέ τις ἀνθρώπων ἐργάζεται ἐν φρεσὶν εἰδώς.

Carmine proximo (1263—6) poeta queritur, quod puer beneficiorum immemor sit. Ad prius distichon affero hos locos similes: v. 105:

δειλοὺς δ' εὖ ἔρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐστίν.

vv. 955, 6:

δειλοὺς εὖ ἔρδοντι δύω κακά· τῶν τε γὰρ αὐτοῦ
χηρεύσει πολλῶν καὶ χάρις οὐδεμία.

v. 854:

οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί' ἔστι χάρις.

ad alterum distichon hos: v. 102:

Κύρνε· τί δ' ἔστ' ὄφελος δειλὸς ἀνὴρ φίλος ὤν.

v. 368:

οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς.

v. 573:

εὖ ἔρδων εὖ πάσχε etc.

v. 654:

Κύρν', ἀρετῆς δ' ἄλλης οὐδεμίης ἔραμαι.

v. 408:

ἀλλ' αὐτὸς γνώμης οὐκ ἀγαθῆς ἔτυχες.

Denique admodum similis est v. 253:

αὐτὰρ ἐγὼν ὀλίγης παρὰ σεῦ οὐ τυγχάνω αἰδοῦς.

De vv. 1267—70 jam ad vv. 1249—52 nonnulla diximus. Hoc loco attulerim, in vv. 257—60*, qui quomodo intellegendi sint, quaestio est difficillima, nonnulla inveniri, quibus versuum 1267—70 admonemur; ita ibi etiam legimus verba *ἄνδρα φέρει* et *ἀπωσαμένη τὸν κακὸν ἡνίοχον.* Praeterea autem commemorandum est vv. 1157—60* legi

---

* *Ἵππος ἐγὼ καλὴ καὶ ἀεθλίη, ἀλλὰ κάκιστον*
ἄνδρα φέρω, καί μοι τοῦτ' ἀνιηρότατον.
πολλάκι δ' ἠμέλλησα διαῤῥήξασα χαλινόν
φεύγειν, ἀπωσαμένη τὸν κακὸν ἡνίοχον.

* *Πλοῦτος καὶ σοφίη θνητοῖς ἀμαχώτατον αἰεί·*
οὔτε γὰρ ἂν πλούτου θυμὸν ὑπερκορέσαις,

carmen, quo divitiae et sapientia inter se comparantur, quae comparatio eodem fere modo instituta est atque hoc loco pueri et equi; nam particulae *οὔτε γὰρ — ἀλλὰ — ὣς δ' αὔτως* in utroque carmine adhibitae sunt. Ad puerum vero vv. 1267—70 scripti non sunt, sed sententia est in universum dicta; tamen monendum est argumento eos similes esse et versuum, qui antecedunt et eorum, qui proxime sequuntur.

Verba *νόον ἀπόλλυται*, quae in carminis proximi (vv. 1271—4) versu primo leguntur, etiam v. 36 invenimus

ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Forma *ὤλεσαν* in eadem versus sede atque hoc loco *ὤλεσας* exstat v. 43:

οὐδεμίαν πω Κύρν' ἀγαθοὶ πόλιν ὤλεσαν ἄνδρες.

Verba *νόος ἐσθλός* saepe in Theognideis occurrunt: ita v. 223:

κεῖνός γ' ἄφρων ἐστί, νόον βεβλαμμένος ἐσθλοῦ.

v. 792:

καὶ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὸν ἔχοιμι νόον.

v. 1054:

βουλὴ δ' εἰς ἀγαθὸν καὶ νόος ἐσθλὸς ἄγει.

Cum verbis *αἰσχύνη δὲ φίλοις ἡμετέροις ἐγένου* comparari potest v. 481:

μυθεῖται ἀπάλαμνα, τὰ νήφοσι γίνεται αἰσχρά.

Ad *ἀνέψυξας* affero etiam Hom. Σ 440:

ἦκα μάλα ψύξασα etc.

Jam vv. 1275—8 iterum sequitur carmen, quod ad puerum scriptum non est, sed sententiam continet de amore solemnem. Quo vero consilio is, qui collectionem confecit, hoc ipso loco carmen inseruerit, non est in aperto; argumenti enim necessitudine neque cum prioribus neque cum posterioribus conjunctum est; nam sequuntur in codice duo disticha, quorum alterum est idem ac vv. 1101, 2, alterum idem ac vv. 949,50; utriusque vero sententia est absoluta et de puerorum amore intellegi potest. Immo si prius distichon (1278 a b) e. c. post v. 1240 insertum inveniremus, aptum locum obtinere videretur. Alterius autem argumentum, si de amore puerili intellegimus, aliquo modo simile esse versuum, qui proxime sequuntur, fortasse jure judicare

ὣς δ' αὔτως σοφίην ὁ σοφώτατος οὐκ ἀποφεύγει,
ἀλλ' ἔραται, θυμὸν δ' οὐ δύναται τελέσαι.

possumus. Participium *προλιπών* conjunctum cum verbo *ἰέναι*, quod legimus vv. 1277,8, invenimus etiam vv. 351, 2:

Ἆ δειλὴ πενίη, τί μένεις· προλιποῦσα παρ᾽ ἄλλον
ἄνδρ᾽ ἰέναι.

Praeterea animadvertendum est simile esse, quod legitur in disticho, quod sequitur: *οἴχεσθαι προλιπόνθ᾽*.

Adjectivi *περικαλλής* casus obliquus saepius apud Homerum in eadem versus sede occurrit, e. c. *Γ* 396:

καί ῥ᾽ ὡς οὖν ἐνόησε θεᾶς περικαλλέα δειρήν.

Idem dicendum est de formis verbi *ἐπιτέλλομαι*, qua de re cf. Renner., c. l. pg. 62.

Inde a v. 1279 sequuntur denuo carmina ad puerum amatum condita. Atque vv. 1279—82 poeta se puerum malo afficere nolle dicit. Affero locos similes hos:

ad verba (v. 1279) *οὐκ — οὐδ᾽ εἴ μοι* etc. vv. 1023, 4:

Οὔποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
δύσλοφον, οὐδ᾽ εἴ μοι Τμῶλος ἔπεστι κάρῃ.

ad verba *κακῶς ἕρδειν* v. 368:

οὔτε γὰρ εὖ ἕρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς.

verba *θεῶν ἀθανάτων* eodem pentametri loco leguntur v. 1148:

οἳ θεῶν ἀθανάτων οὐδὲν ὀπιζόμενοι.

ad v. 1281 vv. 325—7:

εἴ τις ἁμαρτωλοῖσι φίλων ἐπὶ παντὶ χολῷτο,
οὔ ποτ᾽ ἂν ἀλλήλοις ἄρθμιοι οὐδὲ φίλοι
εἶεν· ἁμαρτωλαὶ γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἕπονται.

denique ad v. 1282 v. 337:

Ζεύς μοι τῶν τε φίλων δοίη τίσιν, οἵ με φιλεῦσιν etc.

Carmen, quod sequitur vv. 1283—94, longissimum est appendicis. Videtur haud sine consilio ei, quod proxime antecedit, additum esse; cum enim illo poeta se puerum malo afficere nolle dixerit, hoc contrarium fere dicit; nam petit, ne puer sibi injurias faciat. Etsi vero totum carmen ad puerum est conditum, tamen quinque tantum versibus poeta eum alloquitur, deinde verbis *ὥς ποτέ φασιν* transit ad exemplum de fabulis antiquis repetitum, quo ea, quae antea ad puerum dixerit, usque ad carminis finem magis illustret. Cujus rationis admodum simile est fragmentum, quod inter Theognidea legitur vv. 1123—8*, in quo poeta verbo *οἷατ᾽* ad exemplum transit, quod usque ad finem

---

* *Μή με κακῶν μίμνησκε· πέπονθά τοι οἷατ᾽ Ὀδυσσεύς,*
ὅστ᾽ Ἀίδεω μέγα δῶμ᾽ ἤλυθεν ἐξαναδύς,

accuratius explicatur. Vv. 1283—94, in quos sane nonnulla menda vel interpolationes irrepsisse videntur, tamen non egere colore quodam poetico dilucidum est. Jam affero similes locos: ad παρελεύσεαι (v. 1285) v. 419:

πολλά με καὶ συνιέντα παρέρχεται· ἀλλ' ὑπ' ἀνάγκης etc.

v. 669:

νῦν δέ με γινώσκοντα παρέρχεται, εἰμὶ δ' ἄφωνος etc.

ad rhythmum (v. 1285) v. 537:

οὔτε γὰρ ἐκ σκίλλης ῥόδα φύεται οὔθ' ὑάκινθος.

et v. 727:

οὐδ' ἂν ἄποινα διδοὺς θάνατον φύγοι οὐδὲ βαρείας etc.

ad ἐξοπίσω (v. 1286) v. 362:

Κύρν'· ἀποτεινυμένου δ' αὔξεται ἐξοπίσω.

ad ἀναινομένην γάμον ἀνδρῶν (v. 1289) v. 187:

οὐδ' ἀγαθὴ (vulg. οὐδὲ γυνὴ) κακοῦ ἀνδρὸς ἀναίνεται εἶναι ἄκοιτις.

ad ἔργ' ἀτέλεστα τέλει (v. 1290) v. 422:

ἁρμόδιαι, καί σφιν πόλλ' ἀμέλητα μέλει.

ad ὥς ποτέ φασιν (v. 1287) v. 38:

ταῦτα μαθὼν ἀγαθοῖσιν ὁμίλεε, καί ποτε φήσεις.

ad νοσφισθεῖσα (v. 1291) v. 94:

νοσφισθεὶς δ' ἄλλῃ γλῶσσαν ἵησι κακήν.

ad καὶ μάλ' ἀναινομένη (v. 1294): v. 710:

ψυχὰς εἴργουσιν καίπερ ἀναινομένας.

Praeterea autem multa sunt in his versibus, quae poesin epicam redolent; ita semper fere apud Homerum eisdem versus locis inveniuntur haec verba vel horum verborum formae: καταθνητοῖς (v. 1285); cf. v. 143, 1037, 1219; ὥς ποτέ φασιν (v. 1287) vel similia; ὡραίην (v. 1289); ἀναινομένην (v. 1289); ξανθὴ Ἀταλάντη (v. 1291), cf. e. c. Λ 740: ξανθὴν Ἀγαμήδην; χρυσῆς Ἀφροδίτης δῶρα, cf. e. c. Γ 64: μή μοι δῶρ' ἐρατὰ πρόφερε χρυσέης Ἀφροδίτης; cf. Mimn. I, 1: Τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης. cf. de his omnibus rebus Renner., c. l. pg. 36, 46, 54, 59, 62, 64, 67.

Venio ad vv. 1295—8, quorum argumentum carminis, de quo modo dixi, simile est. Versui 1295 fere par est

ὣς δὴ καὶ μνηστῆρας ἀνείλετο νηλέι θυμῷ
Πηνελόπης ἔμφρων, κουριδίης ἀλόχου,
ἥ μιν δὴθ' ἐπέμεινε φίλῳ παρὰ παιδὶ μένουσα,
ὄφρ' Ἰθάκης ἐπέβη δαιδάλεόν τε λέχους.

Hom. Ω 568: τῷ νῦν μή μοι μᾶλλον ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀρίνῃς, unde Hermann. v. 1295 quoque μή μοι μᾶλλον etc. scribi voluit. Sed dubito, num hoc recte fecerit. Quamvis enim multas Homeri imitationes jam attulerim et allaturus sim, tamen auctorem versus non mutatos ex Homero desumpsisse, exemplis comprobari non potest, sed potius semper plus minusve mutavit. Itaque fortasse hoc loco codicis lectio genuina est. In mente vero quin fuerit auctori versuum 1295—8 locus ille Iliadis, dubitari non potest. Affero etiam ad verba κακοῖσιν ἐν ἄλγεσιν v. 555 libri prioris:

χρὴ τολμᾶν χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσιν κείμενον ἄνδρα.

Verbis δώματα Περσεφόνης etiam v. 974 concluditur:

εἰς τ' Ἔρεβος καταβῇ, δώματα Περσεφόνης.

Cum verbis θεῶν δ' ἐποπίζεο μῆνιν comparo v. 734:

ἐργάζοιτο θεῶν μηδὲν ὀπιζόμενος.

Sed monendum verba θεῶν ἐποπίζεο μῆνιν esse formulam epicam, quae saepe apud Homerum legitur, nisi quod pro θεῶν dei cujuspiam nomen exstat. Prorsus eadem verba inveniuntur in Hymn. in Ven. IV, 290:

ἴσχεο μηδ' ὀνόμαινε, θεῶν δ' ἐποπίζεο μῆνιν.

cf. Renner., c. l. pg. 33. Formula epica etiam sunt verba οἴχηται προφέρουσαι cf. Hom. Z 345, 6:

ὥς μ' ὄφελ' ἤματι τῷ, ὅτε με πρῶτον τέκε μήτηρ,
οἴχεσθαι προφέρουσα κακὴ ἀνέμοιο θύελλα etc.

Hom. υ 64:

θύελλα
οἴχοιτο προφέρουσα κατ' ἠερόεντα κέλευθα.

cf. Renner, c. l. pg. 28.

Sequuntur (vv. 1299—1310) duo carmina ternorum distichorum; prioris argumentum simile est ejus, quod est in vv. 1283—94, aliquo modo etiam ejus, quod antecedit; alterius autem initio fere idem exprimitur, quod fine illius continetur (cf. οὐκέτι δηρὸν Ἕξεις Κυπρογενοῦς δῶρον ἰοστεφάνου et παιδείας πολυήρατον ἄνθος ὠκύτερον σταδίου). Ad verba με προφεύξεαι cf. v. 1098:

ἐκ λίμνης μεγάλης ἄνδρα κακὸν προφυγών.

Participium διώκων in fine hexametri etiam legitur v. 329:

καὶ βραδὺς εὔβουλος εἷλεν ταχὺν ἄνδρα διώκων.

Ad rhythmum verborum ὥς σε διώκων δίζημ' (vv. 1299, 1300) cf. vv. 89, 90:

Ἤ με φίλει καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ' ἀποειπὼν
ἔχθαιρ' ἀμφαδίην νεῖκος ἀειράμενος.

χάρις in eadem versus sede ac v. 1303 invenitur v. 607:

ἀρχῇ ἔπι ψεύδους μικρὴ χάρις etc.

Verba *καὶ ἀγήνορα θυμόν* in fine hexametri etiam leguntur apud Mimn. 14, 1:

οὐ μὲν δὴ κείνου γε μένος καὶ ἀγήνορα θυμόν.

Formas autem verbi *διώκειν* apud Homerum fere semper in fine hexametri legi monet Renner., c. l. pg. 66. *θυμὸς ἀγήνωρ* saepissime etiam apud Homerum occurrit, cf. Renner., c. l. pg. 47. Comparationem pueri cum *ἰκτίνῳ* auctor horum versuum videtur admodum adamare; nam siquidem Welcker v. 1257 pro *κινδύνοισιν* legendum esse *ἰκτίνοισιν* recte conjecit, quam conjecturam magnam veritatis speciem haberi negari non potest — id quod eo quoque comprobatur, quod omnes fere recentiores editores eam in verborum ordinem receperunt — hoc loco tertio illa comparatione usus est, et eodem fere modo atque v. 1261, ubi legimus: *ἰκτίνου γὰρ ἔχεις ἀγχιστρόφου ἐν φρεσὶν ἦθος.*

Ad vv. 1305—10 haec adnotanda videntur: *θυμῷ* in initio hexametri invenimus quoque v. 733:

θυμῷ, σχέτλια ἔργα μετὰ φρεσὶν etc.

Sentention eadem, quae verbis

παιδείας πολυηράτου ἄνθος
ὠκύτερον σταδίου

exprimitur, est etiam in vv. 985, 6:

αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη
οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίνεται ὠκυτέρη.

Praeterea ad voces *ὠκύτερον* et *βιήσεαι* earumque positionem cf. v. 715:

ὠκύτερος δ' εἴησθα πόδας ταχεῶν Ἁρπυιῶν,

et v. 547:

Μηδένα, παῖ, κακότητι βιάζεο.

Cum verbis *σὺ δὲ ταῦτα φύλαξαι* comparari potest v. 31 *ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι*, denique cum priore ultimi pentametri parte *μηδέ σε νικήσῃ* v. 466:

μηδέ σε νικάτω κέρδος, ὅτ' αἰσχρὸν ἔῃ.

Poesin autem epicam in hoc carmine redolent haec: verba *θυμῷ γνούς*, cf. ad v. 1237 et 1247; cf. Renner., c. l. pg. 43; verba *παιδείας πολυηράτου ἄνθος* cf. Renner., l. c. pg. 50; deinde verba *ὄβριμε παίδων*: apud Homerum Mars, Hector, Achilles ita appellantur, cf. Renner., c. l. pg. 47. *Κυπρογενής* saepius Venus in appendicis carminibus nominatur, cf. v. 1304, 1323, 1332, 1382, 1385, 1386.

Sentiu versuum 1311—8 similis est versuum 1299—1304. Habeo ad eos magnum numerum locorum similium, quos ex Theognideis afferam. Statim cum primis carminis verbis *οὐκ ἔλαθες κλέψας* comparo vv. 599, 600:

οὔ μ᾽ ἔλαθες φοιτῶν κατ᾽ ἀμαξιτόν, ἣν ἄρα καὶ πρίν
ἠλάστρεις, κλέπτων ἡμετέρην φιλίην.

Verbum *λανθάνειν* conjunctum cum participio verbi *κλέπτειν* invenitur etiam v. 20:

τοῖσδ᾽ ἔπεσιν, λήσει δ᾽ οὔ ποτε κλεπτόμενα.

Adjectiva *ἄρθμιος* et *φίλος* conjuncta in fine pentametri legimus etiam v. 326:

οὔποτ᾽ ἂν ἀλλήλοις ἄρθμιοι οὐδὲ φίλοι.

Ad verba *ἐμὴν δὲ μεθῆκας ἀτίμητον φιλότητα* cf. v. 1151:

μήποτε τὸν παρεόντα μεθεὶς φίλον ἄλλον ἐρεύνα.

Ad totum hexametrum 1315 cf. 137, 8:

πολλάκι γὰρ δοκέων θήσειν κακὸν ἐσθλὸν ἔθηκεν,
καί τε δοκέων θήσειν ἐσθλὸν ἔθηκε κακόν.

ἑταῖρος πιστός saepe in Theognideis legitur, eodem versus loco in vv. 79, 80:

παύρους εὑρήσεις Πολυπαΐδη ἄνδρας ἑταίρους
πιστούς etc.

cf. v. 415, 6:

Οὐδέν᾽ ὁμοῖον ἐμοὶ δύναμαι διζήμενος εὑρεῖν
πιστὸν ἑταῖρον etc.

v. 91, 2:

ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ δίχ᾽ ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος
δεινός etc.

v. 113:

Μήποτε τὸν κακὸν ἄνδρα φίλον ποιεῖσθαι ἑταῖρον.

Cum verbis *σε δὲ μήτις ἁπάντων — Ἀνθρώπων* comparari potest v. 83:

τόσσους δ᾽ οὐχ εὕροις διζήμενος οὐδ᾽ ἐπὶ πάντας
ἀνθρώπους.

ἐσορῶν in eadem versus sede positum invenitur v. 1018:

πτοιῶμαι δ᾽ ἐσορῶν ἄνθος ὁμηλικίης·

praeterea participium *ἐσορῶν* legitur v. 58: *τίς κεν ταῦτ᾽ ἀνέχοιτ᾽ ἐσορῶν.*

v. 780:

ἦ γὰρ ἔγωγε δέδοικ᾽ ἀφραδίην ἐσορῶν.

v. 977:

ταῦτ᾽ ἐσορῶν κραδίην εὖ πείσομαι etc.

Renner., c. l. pg. 48, monuit apud Homerum saepe *πιστὸς ἑταῖρος* legi.

Post 1318 in codice exstat distichon, quod etiam inter Theognidea invenitur v. 1107, 8. Quod ad argumentum attinet, simile est carminis, quod antecedit, atque potest de puerorum amore intellegi (cf. *τοῖς δὲ φίλοισι*), quam ob rem videtur ab collectionis auctore consilio post v. 1318 positum esse. Carmen, quod distichon illud excipit, paullo laxius cum eo cohaerere videtur; sed tamen quodam modo necessitudo quaedam cogitari potest; postquam enim puerorum amator exclamavit se amicis molestum esse factum, iterum a puero vehementer petit, ut se audiat et intellegat, quam sit molestum viro amorem ferre. Atque haec quidem sententia, quae versu 1322 exprimitur, videtur causa fuisse, cur is, qui collectionem congessit, annecteret vv. 1223—6, quibus poeta Venerem invocat ab eaque petit, ut se curis laboribusque amoris liberet.

Verba *ἔνθεο θυμῷ* (v. 1321) sunt formula epica, quae saepe apud Homerum legitur; cf. Renner., c. l. pg. 38.

Ad vv. 1323—6 commemorandum est in libro priore multas similes sententias inveniri, quarum affero has: v. 343, 4:

τεθναίην δ' εἰ μή τι κακῶν ἄμπαυμα μεριμνέων
εὑροίμην, δοίην δ' ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας.

vv. 1153, 4:

Εἴη μοι πλουτεῦντι κακῶν ἀπάτερθε μεριμνέων
ζώειν ἀβλαβέως, μηδὲν ἔχοντι κακόν.

v. 883:

τοῦ πίνων ἀπὸ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδῶνας.

vv. 765—8:

ὧδ' εἴη κεν ἄμεινον· ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντες
νόσφι μεριμνάων εὐφροσύνως διάγειν
τερπομένους, τηλοῦ δὲ κακὰς ἀπὸ κῆρας ἀμῦναι,
γῆράς τ' οὐλόμενον καὶ θανάτοιο τέλος.

Deinde ad verbum *ἀπόπαυε* (v. 1325) cf. v. 829:

ἀλλ' ἄγε δὴ Σκύθα κεῖρε κόμην, ἀπόπαυε δὲ κῶμον.

ad imperativum *δὸς* conjunctum cum infinitivo cf. v. 342:

δὸς δέ μοι ἀντὶ κακῶν καί τι παθεῖν ἀγαθόν.

ad verba *μέτρ' ἥβης* (v. 1326) v. 1119:

ἥβης μέτρον ἔχοιμι, φιλοῖ δέ με etc.

ἥβης μέτρον etiam apud Homerum et Hesiodum saepe inveniri monuit Renner., c. l. pg. 43.

Distichon, quod legitur vv. 1327, 8, argumento car

mini, quod antecedit, non est similis. Ad rhythmum hujus distichi affero duos libri prioris locos simillimos:
vv. 1, 2:

Ὦ ἄνα, Λητοῦς υἱέ, Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο
λήσομαι ἀρχόμενος οὐδ' ἀποπαυόμενος.

vv. 1023, 4:

Οὔποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
δύσλοφον, οὐδ' εἴ μοι Τμῶλος ἔπεστι κάρῃ.

Vv. 1329—34 Hartung. et Sitzler. cum vv. 1327, 8 conjunxerunt; sed dubito, num hoc recte fecerint; videtur enim mihi v. 1329 non accommodate versum 1328 excipere posse; deinde autem nullum exemplum afferri potest, quo poetam in uno carmine allocutione *ὦ παῖ* bis usum esse comprobetur. Quamobrem mihi potius duo poematia esse accipienda. Distichon 1333, 4 recte omnes fere editores cum praegressis conexuerunt. Sed vv. 1329—34 multas praebent difficultates; nonnulla enim majora vitia latent in ea, quam codex habet, scriptura. De eis autem omnibus accuratius hoc loco agere non nostrum est. Quae sit sententia in universum, dilucidum est: poeta a puero petit, ut se audiat, si quidem semet ipsum olim auditum iri velit. Pentameter v. 1332 idem est atque v. 1304; etiam *δίδου χάριν* in hexametro praegresso exstat. Zieglero videtur totus v. 1332 e v. 1304 explendae lacunae causa in hoc carmen translatus esse. Quod etiamsi per se cogitari potest, tamen ea de causa videri veri simile non esse, quod aliae interpolationes in hujus collectionis carminibus non invenirentur. Hiller. c. l. pg. 450 recte mea quidem sententia animaduertit. Si igitur Ziegleri sententia non recta est, auctorem appendicis carminum, quisquis fuit, eodem versu bis usum esse necesse est. Quamquam ne hoc quidem exemplis illustrari et comprobari potest, tamen inveniuntur in hoc libello eaedem versuum partes pluries. Quas infra compositurus sum.

Participium *χρηΐζων* in initio versus positum legitur etiam v. 958:

χρήζων ἡμετέρους αὖθις ἵκοιο δόμους.

ad verbum *ἀντιτυγχάνειν* cf. v. 642:

εἰ μὴ σπουδαίου πρήγματος ἀντιτύχοις.

De argumento et ordine distichi vv. 1335, 6 idem dicendum est atque de vv. 1253—6; consilium, cur hoc ipso loco insertum sit, cognosci non potest; argumento enim

discrepat a versibus et praegressis et insequentibus. Ceterum Solonis illi vv. 1253, 4 exemplo videntur fuisse et hujus distichi et ejus, quod vv. 1275, 6 legitur. Omnia enim disticha ab eadem voce incipiunt, omnibus eadem fere sententia continetur. Cum v. 1336 comparari potest v. 1063:

Ἐν δ' ἥβῃ πάρα μὲν ξὺν ὁμήλικι πάννυχον εὕδειν.

Versibus 1337—40 poeta dicit se amore non jam esse affectum. Ad verba *χαλεπὰς δ' ἀπελάκτισ' ἀνίας* cf. v. 883:

τοῦ πίνων ἀπὸ μὲν χαλεπὰς σκεδάσεις μελεδώνας;

ad v. 1340 cf. v. 854:

οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί' ἔστι χάρις.

Hunc versum jam attuli ad v. 1264, ubi similiter:

οὐδέ τις ἀντ' ἀγαθῶν ἔστι χάρις παρὰ σοί.

Εὐστέφανος Κυθέρεια Venus saepe a poetis epicis nominatur, cf. Renner., c. l. pg. 45.

Carmen, quod sequitur v. 1341, ea de causa praegressum videtur excipere, quia continet contrariam fere sententiam. Ceterum judico vv. 1341—50 esse unum carmen, quamquam usque adhuc nullum editorem vv. 1341—4 et 1345—50 in unum conjunxisse non ignoro. Primum enim aptissime pergi poterat post v. 1344 verbis *παιδοφιλεῖν δέ τι τερπνόν* etc.; nam haec est sententia: quamquam invitus multas injurias perpetior — nam a puero minime deformi victus sum —, tamen id dicendum, pueros amare esse dulce etc.; deinde vero verba *οὕνεκα κἀγώ* etc. sine dubio referenda sunt ad verba *οὐ γὰρ ἐπ' αἰκελίῳ* etc., atque verba *οὕτω μὴ θαύμαζε* multo aptius videntur dicta esse, si referenda quoque sunt ad verba *αἰαῖ, παιδὸς ἐρῶ*. Itaque pro certo affirmare ausim vv. 1341—50 esse conjungenda, praesertim cum ne scriptura quidem codicis prohibeamur, quominus id faciamus, quia eum singulas sententias non distinguere satis constat.

Ad *ἐκφαίνει* (v. 1342) cf. v. 967:

τούτων δ' ἐκφαίνει πάντως χρόνος ἦθος ἑκάστου.

Verba *οὐκ ἐθέλοντα* in eadem pentametri sede posita atque *οὐκ ἐθέλοντος* (v. 1342) leguntur v. 1094:

ἐχθαίρειν, χαλεπὸν δ' οὐκ ἐθέλοντα φιλεῖν.

et v. 352:

ἄνδρ' ἰέναι· μὴ δή μ' οὐκ ἐθέλοντα φίλει.

cf. etiam v. 651:

αἰσχρὰ δέ μ' οὐκ ἐθέλοντα βίῃ καὶ πολλὰ διδάσκεις.

Verba ἀθανάτων βασιλεύς de Jove dicta et in posteriore pentametri parte posita leguntur etiam v. 1120:

Λητοΐδης καὶ Ζεύς, ἀθανάτων βασιλεύς.

cf. v. 376:

σὸν δὲ κράτος πάντων ἔσθ᾽ ὕπατον, βασιλεῦ.

cf. v. 743:

καὶ τοῦτ᾽, ἀθανάτων βασιλεῦ, πῶς ἐστὶ δίκαιον.

Cum verbis παιδείης ἄνθος ἔχοντ᾽ ἐρατόν comparari possunt hi versus: cf. 452:

οὐδ᾽ εὐρώς, αἰεὶ δ᾽ ἄνθος ἔχει καθαρόν.

v. 994:

ἆθλον δ᾽ ἐν μέσσῳ παῖς καλὸν ἄνθος ἔχων.

vv. 1007, 8:

Ξυνὸν δ᾽ ἀνθρώποις ὑποθήσομαι, ὄφρά τις ἥβης
ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων καὶ φρεσὶν ἐσθλὰ νοῇ.

v. 1070:

οὔτε θανόντας
κλαίουσ᾽ οὐδ᾽ ἥβης ἄνθος ἀπολλύμενον.

Admodum similis est v. 1305 hujus collectionis.

Deinde ad verba οὕτω μὴ θαύμαζε, Σιμωνίδη (v. 1349) cf. v. 25:

οὐδὲν θαυμαστόν, Πολυπαΐδη· οὐδέ etc.

cf. v. 191:

οὕτω μὴ θαύμαζε γένος Πολυπαΐδη ἀστῶν
μαυροῦσθαι.

Simonides quidam appellatur etiam in duobus libri prioris fragmentis: 467—74; 667—82.

Adjectivi ἁπαλόχροος formas eodem versus loco atque v. 1341 apud Hesiodum op. 519 et in Hymn. IV, 14 legi monuit Renner., c. l. pg. 62. Idem plura exempla congessit ad verba πειδείης ἄνθος ἔχοντ᾽ ἐρατόν c. l. pg. 40.

Ratio vero, quo poeta antiqua fabula ad sententiam suam illustrandam usus est, plane est eadem atque in vv. 1283—94, ad quem locum jam attuli vv. 1123—8. In Anthol. Palat. XII, 65—70 eadem fabula simili modo ad eandem rem explicandam a poeta adhibita est.

Distichon, quod sequitur vv. 1351, 2, cum neque praegressis neque insequentibus simile sit, ea de causa hoc loco insertum videtur esse, quod hoc modo mirus exsistit concentus verborum οὕτω μὴ θαύμαζε (v, 1349) et verborum ὦ παῖ, μὴ κώμαζε, quamquam etiam casu id fieri potuit. Qua de re infra nobis dicendum erit.

Ad verbum *κωμάζειν* cf. v. 1065:

ἔστι δὲ κωμάζοντα μετ' αὐλητῆρος ἀείδειν.

cf. v. 1207:

Οὔτέ σε κωμάζειν ἀπερύκομεν οὔτε καλοῦμεν.

Deinde mirum in modum non sententia, sed verba hujus distichi consentiunt cum duobus libri prioris versibus. v. 457

Οὔ τοι σύμφορόν ἐστι γυνὴ νέα ἀνδρὶ γέροντι.

et v. 526:

ἡ πενίη δὲ κακῷ σύμφορος ἀνδρὶ φέρειν.

Inde a v. 1353 usque ad finem collectionis major est numerus eorum carminum, quae non ad puerum scripta sunt, sed praecepta vel sententias de puerorum amore continent. Vv. 1353—6, in quibus vocativus *Κύρνε* legitur, ejusdem argumenti sunt atque vv. 1341—50; nam siquidem recte illos versus conjunximus, eis quoque sententia exprimitur et molestum et dulce esse pueros amare.

V. 1353 fere idem est ac. v. 301:

Πικρὸς καὶ γλυκὺς ἴσθι καὶ ἁρπαλέος καὶ ἀπηνής.

deinde verba *πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον* leguntur v. 124

καὶ γνῶναι πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον.

cf. v. 210:

τῆς δὲ φυγῆς ἐστιν τοῦτ' ἀνιηρότατον.

Participium *διώκων* in fine hexametri jam legimus v. 1299, ad quem alia exempla attulimus.

Vv. 1357—60, qui apte vv. 1353—6 excipiunt, recte mihi Hartung. et Sitzler. conjunxisse videntur. Ad verba *παιδοφίλησιν* etc. cf. vv. 1023, 4:

Οὔ ποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
δύσλοφον, οὐδ' εἴ μοι Τμῶλος ἔπεστι κάρῃ.

Sequuntur vv. 1361—66 tria disticha ad puerum scripta, quae neque inter se neque cum praegressis neque cum insequentibus aperta argumentorum similitudine cohaerent. Cum verbis *ναῦς πέτρῃ προσέκρουσας* similis comparatio potest conferri, quae exstat v. 856:

ὥσπερ κεκλιμένη νηῦς παρὰ γῆν ἔδραμε.

cf. v. 970:

νῦν δ' ἤδη νηῦς ἅθ' ἑκὰς διέχω (sed hoc loco gravius vitium latere dilucidum est).

ad verba *ἐμῆς φιλότητος ἁμαρτών* cf. v. 1099:

βρόχον ἀπορρήξας· σὺ δ' ἐμῆς φιλότητος ἁμαρτὼν etc.

ad *ἀντελάβου* (v. 1362) cf. v. 108:

οὔτε κακοὺς εὖ δρῶν εὖ πάλιν ἀντιλάβοις.

ad *προσέκυρσας* cf. Hes. Theog. 198:

ἀτὰρ Κυθέρειαν, ὅ τι προσέκυρσε Κυθήροις.

Deinde ad vv. 1363, 4: ad *δηλήσομαι* v. 793:

Μήτέ τινα ξείνων δηλεύμενος ἔργμασι λυγροῖς.

ad *οὐδέ με πείσεις* v. 839:

τούτων δ' ἂν τὸ μέσον στρωφήσομαι, οὐδέ
με πείσεις etc.

ad sententiam inde a verbis *οὐδέ με πείσεις* v. 101:

Μηδείς σ' ἀνθρώπων πείσῃ κακὸν ἄνδρα φιλῆσαι.

ceterum ad verborum *οὐδεὶς ἀνθρώπων* positionem v. 902:

οὐδεὶς δ' ἀνθρώπων αὐτὸς ἅπαντα σοφός.

v. 990:

μηδεὶς ἀνθρώπων γνῷ σε βαρυνόμενον.

v. 973:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων, ὃν πρῶτ' ἐπὶ γαῖα καλύψῃ etc.

cf. vv. 159, 60:

οἶδε γὰρ οὐδείς
ἀνθρώπων ὅ τι νὺξ χἠμέρη ἀνδρὶ τελεῖ.

ὥστε eodem versus loco invenitur v. 114:

ἀλλ' αἰεὶ φεύγειν ὥστε κακὸν λιμένα.

cf. vv. 413, 4:

οὐδέ με οἶνος
ἐξάγει, ὥστ' εἰπεῖν δεινὸν ἔπος περὶ σοῦ.

Ceterum Renner., c. l. pg. 36 docuit *οὐδέ με πείσεις (ει)* in fine hexametri apud Homerum octies inveniri.

V. 1365* similis est v. 1117:

Πλοῦτε, θεῶν κάλλιστε καὶ ἱμεροέστατε πάντων.

Vv. 1367. 68 et 1369—72 sunt duo *γνῶμαι*, quae

---

* Mirum in modum ante paucos annos in sepulcris Tanagrae inventum est vasculum fictile, in quo conspicimus hominem, cujus ex ore veniunt verba: *ὦ παίδων κάλλιστε.* Qua ex re Ulr. Köhler c. l. conjecit disticho appendicis eum, qui vasculum finxisset, commotum esse, ut eam rem illustraret. Cum vero illud initio saeculi quinti a. Chr. n. factum esse videretur, etiam vv. 1365, 6 eo tempore jam exstitisse effici. Sed ex similitudine v. 1365 et v. 1117 concludi necesse est de vv. 1365, 6 eodem modo esse judicandum atque de omnibus appendicis poematiis, ideoque mihi haec conjectura hominis doctissimi videtur rejicienda esse. Potest exemplo fuisse artifici alius poetae antiquioris, Mimnermi fortasse, carmen aliquod, quod etiam auctorem versuum appendicis novisse et in mente habuisse ea ex re, quod pluries versus antiquiorum poetarum elegiacorum, ut Solonis Mimnermi, in usum suum converterit, recte conjicias. —

dicuntur. de amore puerili, argumento unius alteri similis. Ad verba *πιστός ἑταῖρος* (v. 1367) affero v. 209:

Οὐδείς τοι φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος.

v. 529:

Οὐδένα πω προὔδωκα φίλον καὶ πιστὸν ἑταῖρον.

v. 645:

Παύρους κηδεμόνας πιστοὺς εὕροις κεν ἑταίρους.

v. 851:

Ζεὺς ἄνδρ' ἐξολέσειεν Ὀλύμπιος, ὃς τὸν ἑταῖρον etc.

v. 941:

οὐδέ τοι αὐλητὴν προφασίζομαι· ἀλλά μ' ἑταῖρος etc.

Ceterum cf. ad v. 1315.

Verba *τὸν τέρποντα φίλον* in fine pentametri jam legimus v. 1270.

Ad verba *κακά, μυρία δ' ἐσθλά* comparo v. 369:

Μωμεῦνται δέ με πολλοί, ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί.

ad verba *ἔνεστι χάρις* (v. 1372) cf. 854:

οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί' ἔστι χάρις.

Inde a v. 1373 usque ad finem appendicis nulla argumentorum singulorum carminum similitudo cognosci potest. Ad distichon vv. 1373. 4 commemoro inter Theognidea quattuor exstare pentametros, in quibus adjectivum *σπουδαῖος* in eadem sede positum est atque v. 1374 v. 70:

εὖτ' ἂν σπουδαῖον πρῆγμ' ἐθέλῃς τελέσαι.

v. 116:

ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.

v. 642:

εἰ μὴ σπουδαίου πρήγματος ἀντιτύχοις.

v. 644:

ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.

De vv. 1375. 6 cf. ad v. 1253 et 1335.

Ad vv. 1377—80 haec afferenda sunt: dativus *κακότητι* in eadem versus sede positum invenitur v. 547

Μηδένα πω κακότητι βιάζεο· τῷ δὲ δικαίῳ etc.

et v. 1025:

Δειλοί τοι κακότητι ματαιότεροι νόον εἰσί.

ad verba *δειλοῖσιν ὁμιλεῖς ἀνδράσι* cf. v. 31:

*ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι· κακοῖσι δὲ μὴ προσομίλει
ἀνδράσιν* etc.

cf. v. 597:

*Δὴν δὴ καὶ φίλοι ὦμεν· ἀτάρ τ' ἄλλοισιν ὁμίλει
ἀνδράσιν* etc.

ad verba *αἰσχρὸν ὄνειδος ἔχεις* cf. v. 546:

ὄφρα μὴ ἀμπλακίης αἰσχρὸν ὄνειδος ἔχω.

cf. 507, 8:

δέδοικα δὲ μή τι μάταιον

ἔρξω θωρηχθεὶς καὶ μέγ᾽ ὄνειδος ἔχω.

ad verba *τῆς σῆς φιλότητος ἁμαρτών* cf. v. 1099:

βρόχον ἀποῤῥήξας· σὺ δ᾽ ἐμῆς φιλότητος ἁμαρτών.

cf. ad v. 1301.

Quattuor versus, qui sequuntur in codice (vv. 1381—85), gravi laborant vitio; nam v. 1382, quem codex ita exhibet: „*ἐλθεῖν Κυπρογενοῦς δῶρον ἰοστεφάνου*" nullam omnino praebet sententiam; itaque jam Bekker. suo jure lacunam hoc loco statuit et vv. 1381—5 in duo fragmenta sejunxit. Verba *χαλεπώτατον ἄχθος*, quae legimus v. 1384, inveniuntur quoque v. 295:

Κωτίλῳ ἀνθρώπῳ σιγᾶν χαλεπώτατον ἄχθος.

Ad verba *δῷ λύσιν ἐκ χαλεπῶν* cf. v. 180:

δίζησθαι χαλεπῆς Κύρνε λύσιν χαλεπῆς.

v, 556:

πρός τε θεῶν αἰτεῖν ἔκλυσιν ἀθανάτων.

v. 590:

συντυχίην ἀγαθήν, ἔκλυσιν ἀφροσύνης.

v. 1010:

δὶς πέλεται πρὸς θεῶν οὐδὲ λύσις θανάτου.

De verbis *χρυσῆς Κυπρογενοῦς* cf. ad v. 1293.

Denique ad ultimum appendicis carmen (vv. 1386—9), in quo Venus invocatur, commemoro haec: ad verba *σοί τι περισσόν* cf. v. 769:

Χρὴ Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον,

εἴ τι περισσόν

εἰδείη etc.

ad *ἔχειν* (v. 1387) v. 356:

εὖτέ σε καὶ τούτων μοῖρ᾽ ἐπέβαλλεν ἔχειν.

ad *ὥστε* (v. 1389) v. 568:

δηρὸν γὰρ ἔνερθεν

γῆς ὀλέσας ψυχὴν κείσομαι ὥστε λίθος.

Ad verba *Κυπρογενὴς Κυθέρεια* cf. Hymn. X, 1:

Κυπρογενῆ Κυθέρειαν ἀείσομαι, ἥτε βροτοῖσιν
μείλιχα δῶρα δίδωσιν.

cf. Renner. c. l. pg. 44.

Verba *πυκινὰς φρένας* apud Homerum compluries in eadem versus sede leguntur, cf. Renner. c. l. pg. 45. —

In eis, quae usque adhuc disseruimus, contemplati jam sumus, quomodo singula se exciperent appendicis carmina; dividi ea possunt in diversa genera: maxima pars eorum ad puerum amatum scripta est, atque ita quidem, ut in fere omnibus inveniatur vocativus ὦ παῖ, nullo certo nomine exhibito; est autem horum carminum non continua series, sed exstant in collectione ita, ut compluries inter ea inserta sint carmina, quae non ad puerum scripta sunt. Atque his quidem exceptis paucis continentur sententiae (γνῶμαι), quae pertinent ad amorem puerorum. Si igitur ad hanc rationem carmina appendicis consideramus, hunc habemus conspectum:

1) vv. 1231—4: prooemium (invocatio Amoris).
2—8) vv. 1235—52: ad puerum scripti (7 carmina).
9—10) vv. 1253—6: in universum dicti.
11—13) vv. 1257—66: ad puerum scripti (3 carmina).
14) vv. 1267—70: in universum dicti.
15) vv. 1271—4: ad puerum scripti.
16) vv. 1275—8: in universum dicti.
17) vv. 1278 a. b.: ad puerum scripti.
18) vv. 1278 c. d.: poeta de sua condicione.
19—24) vv. 1279—1318: ad puerum scripti (6 carmina).
25) vv. 1318 a. b.: poeta de sua condicione.
26) vv. 1319—22: ad puerum scripti.
27) vv. 1323—6: ad Venerem scripti:
28—29) vv. 1327—34: ad puerum scripti (2 carmina).
30) vv. 1335—6: in universum dicti.
31) vv. 1337—40: ad puerum scripti.
32) vv. 1341—50: poeta de sua condicione (appellatur Simonides).
33) vv. 1351—2: ad puerum scripti.
34) vv. 1353—6: in universum dicti (appellatur Cyrnus).
35—36) vv. 1357—60: in universum dicti (2 carmina).
37—39) vv. 1361—66: ad puerum scripti (3 carmina).
40—41) vv. 1367—72: in universum dicti (2 carmina).
42) vv. 1373—4: ad puerum scripti.
43) vv. 1375—6: in universum dicti.
44—45) vv. 1377—82: ad puerum scripti (2 carmina, alterius fragmentum).
46) vv. 1383—5: in universum dicti (fragmentum).
47) vv. 1386—9: conclusio (invocatio Veneris).

Cum ex hoc conspectu et ex eis, quae supra ad singula carmina attulimus, facile intellegi possit argumentorum similitudine omnia appendicis carmina congesta non esse, quaerendum est, num omnino is, qui hanc collectionem confecit, in ordinandis carminibus certum quoddam consilium secutus sit. Nec defuit, qui ejusmodi consilium invenisse sibi videretur. Nietzschius enim (c. l.), qui Welckeri vestigia secutus fragmenta libri prioris filo quodam perpetuo verborum conjuncta esse demonstrare studuit, sic etiam appendicem esse conglutinatam putavit et verba conectentia, quae repperisse sibi visus est, composuit. Confirmare studuit sententiam suam homo doctus praecipue eis versibus, qui in libro priore bis leguntur; quos eo consilio repetitos esse judicavit, ut verba copulativa efficerentur. Cum vero commentationibus H. Schneidewini aliorum jam satis constet versus repetitos ideo inveniri in libro priore, quia totus liber ille conscriptus sit ex duabus syllogis, quarum utraque versus illos exhibuerit, atque ea re fundamentum Nietzschii sententiae vanum esse appareat, jure dubitaverunt homines docti, num omnino de tali verborum filo posset cogitari. Sed de libro priore accuratius agere non nostrum est. Id tantum liceat nobis dicere, si quis in priore libro Nietzschii sententiam ferri non posse demonstraverit, in appendice quoque idem valere recte judicari posse. At etiam ipsa appendice Nietzschium non recte statuisse potest illustrari. Sane in duobus distichis de priore libro in appendice repetitis fortasse quispiam vocabula illa invenerit (1238 ab: *πειθόμενος* — *φίλον*, 1278 b: *προλιπόνθ'*). Sed — concedamus enim Nitzschii sententiam recte se habere — num ejusmodi vocabulum post v. 1278 tam difficile fuisset inventu, ut eum, qui hanc syllogam confecisset, necesse esset confugere ad librum priorem sibique arripere vv. 1101, 22? Nonne multo aptius se obtulissent versus, qui statim sequuntur, vv. 1283—94, ita ut verbum copulativum esset *ὡραῖος* (v. 1275) et *ὡραίην* (v. 1289), utrumque positum in versus sede satis conspicua? Accedit, quod Nietzschius post v. 1278 vv. 949, 50 et post v. 1318, vv. 1107, 8 repeti nondum compererat; his vero locis verbum copulativum vel minimum inveniri non potest. Quamobrem repetitionum causam prorsus aliam fuisse atque Nietzschius voluerit, necessario efficitur. Deinde autem jam Fritzschius (c. l.), qui quaestionem illam retractavit, recte monuit desiderari

apud Nitzschium accuratam definitionem verborum illorum quae ad conjungenda singula carmina accommodata essent. Apparet enim, si omnino de ejusmodi ratione cogitari posset, non quodlibet verbum quovis versus loco copulativum esse posse, sed vocabula tantum conspicua in conspicuo versus loco posita. Cum autem in eis, quae Nietzschius eumque secutus Fritzschius composuerunt, nulla fere sint, quae ei condicioni satisfaciant, fieri non potest, quin Nietzschii sententiam falsam esse censeamus. Eodem modo fere omnes homines docti, qui post Nietzschium hac de re scripserunt, ut H. Schneidewin*, Bergk**, Ed. Hiller***, Clemm†, judicaverunt. Quae mea sententia ex ea ratione, qua singula appendicis carmina in collectione exstant, possunt erui, haec sunt: in compluribus appendicis partibus (cf. vv. 1235—52, vv. 1279—1318) carmina ejusdem vel similis vel contrarii argumenti esse composita negari non potest, immo nonnullis locis certum quoddam consilium auctoris invenisse nobis videmur, cur alterum alteri carmini subjunxisset††. Qua re saepe fieri potuisse, ut etiam verborum similitudo exsisteret, nemo erit quin concedat. Praeterea monendum est numerum eorum carminum, quae non ad puerum scripta sunt, sed sententias generales de puerorum amore continent, sub finem collectionis multo majorem esse quam in priore parte. Cum enim usque ad v. 1334 pauca tantum ejusmodi carmina inserta inveniantur, inde a v. 1335 usque ad finem plura exstant, quam quae ad puerum condita sunt. Atque nonnullis quidem locis argumento illa similia sunt aut eorum, quibus subjuncta sunt aut eorum, quae sequuntur, aut denique utrorumque; cf. 1267—70. 1278 cd. 1323—26; 1341—50. Saepius vero omnino non cohaerent, immo nonnunquam series poematiorum, quorum sententiae in eodem fere argumento versantur, eis plane interrumpitur, sicut vv. 1253—6 (vv. 1249—52 enim puer cum equo, 1257—8 puer cum milvo comparatur) et vv. 1335—6. Dicendum igitur est certum quoddam consilium, quo tota collectio sit

* c. l. pg. 37.

** PLG. II, pg. 235.

*** c. l. pg. 471.

† Fleckeisens Jahrbücher. vol. 125. 1882. pg. 1 sqq.

†† cf. quae adnotavimus supra singula ad carmina.

colligata, inveniri non posse, quamquam haud ita paucis locis propter argumentorum similitudinem carmina esse congesta non potest non cognosci.

II.

Jam nobis quaerendum est, quis fuerit auctor carminum collectionis. De Theognide enim non posse cogitari facile ex duobus causis apparet. Nam primum ex omnibus veterum scriptorum testimoniis, quae de Theognidis poesi exstant, eum versus amatorios non fecisse potest colligi, quae res deinde confirmatur eo potissimum, quod ipsius Theognidis versus quidam ab appendicis versuum auctore ita usurpati sunt, ut ab Theognide eos non esse profectos concludendum sit; qua de re infra accurate nobis erit disputandum. Duos versus (1253, 4) Solonis esse jam supra attulimus. Num certa quadam ratione uterque locus, Platonis collectionisque, inter se cohaereant, difficile est dictu. Hiller* quidem appendicis auctorem ipso illo Platonis loco, ut distichon in collectionem reciperet statimque variaret, esse commotum suspicatus est; quod quidem fieri potuisse non negem; sed conjectura tamen mihi videtur admodum incerta; crediderim potius, Luciani quoque loco commotus, qui distichi Solonis hexametrum in Amor. cap. 48 attulit, notissimum fuisse antiquitatis temporibus illud distichon. Utcunque res se habet, Platonem ex appendice distichon Solonis non cognovisse pro certo habere possumus. Neque vero versus appendicis apud florilegiorum scriptores aliosque leguntur; qua ex re eam illis non fuisse notam recte concludas. Hoc igitur modo factum est, ut ab hominibus doctis, qui operam suam collocaverunt in reliquiis Theognideis, variae de auctore auctoribusve sententiae proferrentur diversisque diversorum temporum poetis versus appendicis tribuerentur. Atque maxime quidem vocativi *Σιμωνίδη* et *Κύρνε*, qui inveniuntur vv. 1349 et 1354, ad conjecturas de auctore faciendas adhibiti sunt. Ita Hartung. solo nomine *Κύρνε* videtur commotus esse, ut versus 1353—6, deinde 1357—60, 1367—72 Theognidi tribueret. Sane aliqua veritatis specie id dici posse non nego; nam siquidem in priore libro Theognidis illa ipsa Cyrni appellatio

---

* c. l. pg. 470.

in universum pro certo Theognideae originis signo potest haberi, primo obtutu etiam vv. 1353—6 a Theognide esse profectos conjici potest. Dicit etiam homo doctus Theognidem apte in poema suum didascalicum recipere potuisse nonnullas de puerorum amore sententias. „Von der Art sind diese Trümmer, hier von V. 1355—62, ferner von V. 1369—74, und sind wesentlich verschieden von den verliebten Äußerungen des andern Dichters, dem wir mit geringen Ausnahmen diesen ganzen aus dem codex Mutinensis nachträglich herausgegebenen Anhang beilegen können."* Sed omnibus rebus accurate perpensis, quominus Hartungo adsentiamur causae obstare videntur tam graves, ut dubium esse non possit, quin falsissime conjecerit. Etenim, ut jam supra dixi, nulla veterum scriptorum testimonia exstant, quibus Theognidem etiam versus amatorios condidisse comprobetur, efficitur potius eis illum id non fecisse, deinde vv. 1353–6 a Theognide confectos esse non posse facile ex hac re apparet. Quia demonstrari potest plurimis appendicis carminibus contineri locos simillimos versuum vel fragmentorum, quae in priore Theognidearum reliquiarum libro leguntur, eum, qui hanc collectionem concinnaverit, librum illum ante oculos habuisse necessario sequitur. Qui loci similes cum vv. quoque 1353—6 contineantur, Theognis eorum auctor esse non potest Cyrnique appellatio aliter explicanda est. Itaque fieri non potest, quin etiam vv. 1357—60 et 1367–72 Theognidi abjudicentur. — Similis est res in vv. 1345–50, quos Bergk. Eueno Pario majori vindicavit. Nam cum in libro priore duo exstent fragmenta, in quibus Simonides quidam appellatur et quae Bergk. ab Eueno illo profecta esse demonstravisse sibi visus est, etiam hos appendicis versus propter illam ipsam Simonidis appellationem eidem poetae esse tribuendos suspicatus est. Quae ratio quamquam per se admodum est incerta, propterea quod Bergk. quae libro priori cum altera collectione ratio intercederet, nondum ostendit, tamen compluribus hominibus doctis probata est. Atque maxime quidem Hartung** illam Bergkii conjecturam in usum suum convertit eaque nisus omnia fere libri alterius fragmenta paucis exceptis illius Eueni

* c. l. pg. 286.

** c. l. pg. 133.

esse conjecit, praesertim cum ex testimoniis veterum scriptorum Theognidem ea non condidisse intellegeretur, Euenum vero carmina elegiaca amatoria fecisse eisque Eunomum quendam celebravisse aperte traditum esset. Similiter quoque homo doctus* alio loco dixit appendicem fere totam constare ex carminibus amatoriis unius poetae ejusque, qui vv. 667—82 et 466—74 confecisset. Sed eaedem illae causae, quibus Hartungi de vv. 1353—6 sententiam refutavimus, valent in vv. 1341—50. Apparet enim v. 1349 confectum esse non posse sine versuum 25 et 191 recordatione; qua de re accurate infra erit nobis videndum; itaque eodem modo de vv. 1341—50 esse judicandum, quo de tota collectione, facile intellegitur. De hac re Hiller. (c. l.) eumque secutus Clemm. (c. l.) idem judicaverunt. Nietzschius vero in commentatione sua aliam sententiam protulit. Is enim in collectione Theognidea invenisse sibi visus est adversarii cujusdam consilium infestum, qui cum poetae Megarensis laudi atque gloriae obtrectare in animo haberet, in eum finem parodias Theognidis congessisset, quas una cum versibus Mimnermi genuinis Theognideis inseruisset. Cum igitur versus Solonis, Tyrtaei, Phocylidis erroribus quibusdam in Theognideam collectionem irrepsissent, quicunque vitam jucundam amoremque celebrarent, eos adversarii illius consilio infesto in illam translatos esse. Qua de causa Nietzschius Bergkium secutus magnum numerum fragmentorum libri prioris Mimnermo tribuit, deinde vero eidem Mimnermo totam musam puerilem, solis exeptis vv. 1253, 4, quos sane Soloni abjudicare non poterat. Invidia illius adversarii appellationes quoque Cyrni Simonidisque pro veris nominibus interpolatas esse Nietzschius judicavit. Sed apparet eum audacissime in conjecturarum finibus esse versatum atque vix videtur necessarium esse, ut omnes refutentur. Si auctorem carminum appendicis librum priorem ante oculos habuisse demonstrari potest, etiam hanc Nietzschii sententiam, ut illam de verborum conectentium filo, vanissimum commentum esse apparet.

Hertzberg. (c. l. pg. 361) appendicis poematia, quibus nihil esse commune cum Theognide, Alexandrinorum temporibus lascivia insignibus condita esse judicavit. Sed ani-

---

* c. l. pg. 24.

madvertendum est haud ita paucorum argumentum eroticum primo obtutu cognosci non posse; ne suspicaremur quidem illud esse in nonnullis, nisi in hac ipsa collectione locum haberent, quam plane esse eroticam carmine primo et ultimo luce clarius indicatum est. Usus est poeta, ut cum Boissonadio loquar, verbis modestis; de amicitia tantum sermo est, multumque distant ab hujus collectionis parvis poematiis epigrammata illa spurcissima maximam partem et admodum obscoena, quae libro duodecimo Anthologiae Palatinae continentur. Cum praeterea antiquioribus quoque temporibus ejusmodi carmina facta esse constet, hoc loco fusius Hertzbergi sententiam refutare non necessarium videtur esse, praesertim cum causis eam firmare conatus non sit. Denique H. Schneidewin. (c. l.) vv. 1235—40 et alios nonnullos (quos, accuratius non dixit) ipsius Theognidis manu effectos esse suspicatus est. Quam conjecturam non rectam esse ex eis, quae infra disputaturi sumus, apparebit.

Hae igitur sunt sententiae hominum doctorum de certis quibusdam appendicis carminum auctoribus usque adhuc prolatae. Atque mihi quidem omnino illud videtur erui non posse, quoniam apparatu ad ejusmodi res plane perspiciendas haudquaquam apto sumus instructi. Sed id fortasse accurata disquisitione instituta poterimus assequi, ut de modo et tempore carminum collectionisque origine atque de auctoris auctorumve in carminibus condendis vel in collectione conglutinanda ratione cum aliqua veritatis specie judicari possit. Atque primum quidem dicenda nobis in universum nonnulla videntur esse de sermone, versificatione, sententiis carminum collectionis; nam apparet, nisi has res examinaverimus, fieri non posse, ut certum de genere originis temporeque judicium fiat.

Sermonem esse in universum simplicem, purum dilucidumque dicendum est; omnino non inveniuntur verba, quae posteriorum temporum propria esse primo aspectu intellegitur. Sane Herwerden.* haud ita pauca, quibus attentum lectorem alia fortasse addere posse dicit, congessit, ut carmina antiquioribus temporibus exorta esse non posse demonstraret. Sed mihi eum non persuasisse profiteor. Primum enim magna earum, quas adnotavit

* c. l. pg. 15 squ.

rerum pars, quin librariis, non carminum auctori tribuenda sit, dubitari non potest; deinde in nonnullis num sit offendendum, ambigo, de ceteris vero Herwerden. ea de causa non recte judicavisse puto, quod ei causa offensionis videtur fuisse, quod non poetice dicta esse nobis videntur; quasi antiquioribus temporibus mediocria carmina effici non potuerint. Quicunque perlegerit collectionis versus, dummodo sit aliquo modo peritus sermonis epici, fieri non potest, quin auctorem eorum saepissime animadvertat usum esse formulis homericis vel potius epicis, quas maximam partem in adumbratione nostra congessisse nobis videmur, et quarum multas nos Rennero debere jam attulimus. Convertit in usum suum poeta voces singulas, formulas breviores vel longiores, immo versus fere integros, atque in uno carmine (1249—52) condendo comparationem homericam exemplo fuisse non potest non agnosci. Cum vero constet primos poetas elegiacos eodem fere genere dicendi usos esse atque Homerum, posteriorum demum temporum poetas liberius incessisse suasque ipsorum magis secutos esse leges, ratione illa, qua poeta carminum appendicis, quisquis fuit, sermonem epicum imitatus sit, confirmari potest sententia jam ante Alexandrinorum tempora haec carmina exorta esse. Quod ita se habere, etiam Hiller. recte intellexit, qui* scripsit: diese (carmina appendicis) machen aber in der schlichten Eleganz der Darstellung, im Stil wie im Wortschatz, ebenso auch in der Art der homerischen Nachahmungen durchaus nicht den Eindruck, der alexandrinischen oder gar der römischen Zeit anzugehören. Atque idem dicendum de Rennero, qui cum commentationem suam inscripserit: Über das Formelwesen im griechischen Epos und epische Reminiscenzen in der älteren griechischen Elegie, totam in ea appendicem respexit.

Breviter jam consideremus, qua arte poeta versus pepigerit. Negari non potest eum hac in re fuisse diligentem atque minime imperitum legum earum, quibus versus sunt componendi. Si carmina constant ex pluribus distichis, singulae plerumque sententiae singulis distichis absolvuntur, quamquam nonnullis locis etiam sequenti versu, ut apud omnes poetas elegiacos, sententia inchoata conficitur; qua in re poetam ita esse versatum, ut variatio jucunda sen-

---

* c. l. pg. 471.

tiatur, facile intellegi potest. Neque in hexametris neque in pentametris vitia ullius generis invenire potui. In hexametro poetam caesuram bucolicam, quae dicitur, adamavisse mihi videor animadvertisse, quod tamen non ita volo intellegi, quasi caesura illa multo sit frequentior quam apud alios poetas elegiacos. Semper vero lex illa servata est, qua quartus pes ante caesuram illam dactylus esse debet*.

* Hoc loco non omittam vitium emendare, quod in libro priore invenitur. Legitur fragmentum quoddam vv. 441—6:

Οὐδεὶς γὰρ πάντ' ἐστὶ πανόλβιος· ἀλλ' ὁ μὲν ἐσθλὸς
τολμᾷ ἔχων τὸ κακόν, κοὐκ ἐπίδηλος ὅμως·
δειλὸς δ' οὔτ' ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται οὔτε κακοῖσι
θυμὸν ὁμῶς μίσγειν· ἀθανάτων δὲ δόσεις
παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχοντ'· ἀλλ' ἐπιτολμᾶν
χρὴ δῶρ' ἀθανάτων, οἷα διδοῦσιν ἔχειν.

Hi versus in codd. A O post 1162 repetuntur nonnullis scripturae discrepantiis. Constat vero compluribus hominum doctorum accuratis commentationibus, inter quas haud infimum locum obtinet H. Schneidewini, collectionem Theognideam, quae nobis titulo *ἐλεγείων α'* tradita est, olim conscriptam esse ex duabus syllogis, in quarum posteriore, quae fere a v. 1000 incipere videtur, saepius melior scriptura deprehenditur. Quae res versibus 441—6 (1162 a—f) haud minime confirmatur. Cum enim libri omnes v. 444 lectionem praebeant *θυμὸν ἔχειν μίσγειν*, v. 1162 d legitur *θυμὸν ὁμῶς μίσγειν*, quae scriptura procul dubio unice vera genuinaque ab omnibus fere editoribus v. 444 in verborum ordinem recepta est. Sed mea quidem sententia aliud vitium latet in vv. 441—6, cujus emendandi vestigium eisdem, qui post v. 1162 leguntur, versibus, ut pote qui meliorem scripturam servaverunt, indicatum est. Scribendum enim esse v. 444, 5 pro verbis *ἀθανάτων δὲ δόσεις παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχοντ'·* ita: *ἀθανάτων δὲ δόσις παντοίη θνητοῖσιν ἐπέρχεται* pro certo affirmare ausim, atque miror nullum Theognideorum editorem usque adhuc hanc emendationem proposuisse. Causae vero gravissimae, quibus commotus sum, ut hoc modo vv. 444, 5 emendarem, hae sunt: Inquirens accuratius, quam saepe quoque modo in collectione Theognidearum reliquiarum adhibita esset caesura, quae dicitur, bucolica, in omnibus eis hexametris, quorum caesura illa bucolica esset, quartum pedem constare ex dactylo, dummodo post eum esset distinctum, inveni: Itaque mirandum est, cur v. 445 quartus pes, post quem caesura illa exstat, ex spondeo constet contra regulam alias in Theognideis servatam. Tradita enim sunt hoc loco verba haec

idque saepius ita, ut quarto pede sententiae pars quaedam absolvatur. Ita exempli causa quattuor primis pedibus sententia universa continetur, quae deinde reliqua distichi parte accuratius exponitur vel potius ad certam quandam rem explicatius illustrandum adhibetur; cf. v. 1245, 6; 1267, 8. Ejusmodi disticha haud pauca etiam in collectione Theognidea inveniri possunt. Ne in pentametris quidem, ut jam dixi, in universum est, in quo offendere possimus. Küllenberger (c. l. pg. 43 squ.) exposuit, quomodo antiquiores Graecorum poetae elegiaci dactylis et spondeis in priore pentametri parte usi essent — 21, 5% binos dactylos, 24, 3% binos spondeos, 24, 8% spondeum in primo, dactylum in altero pede, 29, 4% dactylum in primo, spondeum in altero pede habent —; fere eadem est res in duodoctoginta appendicis pentametris, cum septendecim eorum in priore versus parte binos dactylos, viginti duo binos spondeos, septendecim spondeum in primo, dactylum in altero, viginti duo dactylum in primo, spondeum in altero pede praebeant. Praeterea vero commemorandum est in commissura primi appendicis pentametri syllabam ancipitem legi, quam syllabam in fine prioris

ἀθανάτων δέ δόσεις παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχονται. Infra vero in versibus repetitis cod. O, quem constat praestantia proxime accedere ad codicem optimum, scripturam habet: *ἀθανάτων δὲ δόσεις παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχεται*, lege igitur, de qua modo diximus, servata, quamquam eo quoque loco verba depravata sunt. Sed dubitari mea quidem sententia non potest, quin ea cod. O lectione vestigium sit indicatum, quomodo vitium tollendum esset. Etenim si mutamus pluralem *δόσεις παντοῖαι* in singularem numerum *δόσις παντοίη*, omnia recte se habent neque sententia alia facta est, atque antea fuit. Nam propria vis substantivi *δόσις* non est donum, sed actio dandi, et deinde notione magis universa omnia, quae dantur; ita apud Homerum, apud quem quinquies exstat, singulari tantum numero adhibitum invenitur; posteriore demum aetate vis vocis ita immutata est, ut fere promiscue diceretur *δόσις* et *δῶρον*. Sic etiam Theognidi, in cujus reliquiis *δόσις* alias non legitur, vindicanda videtur esse forma singularis *δόσις παντοίη*, ita ut tamen sententia sit: quaecunque a deis immortalibus dantur, vario modo vel varia forma ad homines perveniunt. Addo denique in ultimo fragmenti pentametro multo aptius dictum videri esse *δῶρ᾽ ἀθανάτων* quam si legimus v. 444 *ἀθανάτων δὲ δόσεις*, voce *δόσεις* eadem notione adhibita atque statim *δῶρα ἀθανάτων*, cum variatio sit jucunda, si legimus: *ἀθανάτων δὲ δόσις παντοίη* etc.

pentametri partis poni non debere constat, etsi nonnunquam exceptiones inveniri negari non potest. Admodum vero mirandum est idem esse etiam in prioris Theognideorum libri pentametro primo idque eodem modo in carmine, quod ad deum conditum est. Quod utrum casu quodam factum sit an certo cuidam consilio tribuendum, hoc loco, quo rem ipsam indicavisse satis est, fusius disputare longum est. Denique affero in commissura duorum pentametrorum (1340; 1378) elisionem legi vocalis i (*ἔστ'*) et vocalis o (*τοῦτ'*); sed utrumque in carminibus antiquiorum quoque posterum elegiacorum saepius invenitur.

Ex his adnotationibus, quas de sermone versuumque componendorum arte appendicis carminum fecimus, mea quidem sententia apparet verisimile, ne dicam certum esse ea non posterioribus temporibus, quemadmodum nonnulli jam homines docti judicaverunt, sed ante Alexandrinorum tempora esse exorta. Accedit, quod omnes fere sententiae simplici naturalique, ut ita dicam, modo, qui tempora antiquiora quam Alexandrinorum redolet, expositae et expressae sunt; quae res facile intellegi potest comparatis plerisque eis epigrammatis, quae duodecimo Anthologiae Palatinae capite continentur.

Quoniam igitur, ut jam supra diximus, in optimo antiquissimoque Theognideorum codice collectioni Theognideae appendix subjuncta est, inscripta *ἐλεγείων β'*, qui titulus quin titulo illi Theognidei libri: *Θεόγνιδος ἐλεγείων α'* respondeat, dubitari non potest, certam quandam priori cum altera collectione rationem intercedere in aperto est. Itaque quaerendum est, quomodo factum sit, ut hae duae collectiones, quibus carmina diversissimi argumentorum generis continentur, congererentur. Cum vero nulla exstent certa atque aperta veterum scriptorum testimonia, quibus aliquo modo lux possit spargi in illam quaestionem, ita tantum eam absolvi posse apparet, ut interiore quodam modo utramque collectionem cohaerere comprobetur, qua ex re quomodo exterior ille connexus explicandus sit, intellegi posse veri simile est. Neque vero dubitari potest neque puto dubitari, quin interior quaedam ratio appendici cum collectione Theognidea intercedat, sed quomodo ea sit explicanda, de ea re homines docti nondum consentiunt.

Initium facio a repetitionibus, quas in eis, quae supra disputavi, compluries jam commemoravi. Leguntur igitur

inter appendicis carmina quattuor disticha, quae etiam in collectione Theognidea exstant; sunt vero haec et his locis: vv. 1151. 2 post 1238, 1101, 2 post 1278, 949, 50 item post 1278. 1107, 8 post 1318. Sane eadem res in priore libro invenitur et in eo multo saepius. Sed H. Schneidewini accurata dissertatione de hac re instituta, deinde adnotationibus van der Meyi, Hilleri, aliorum hominum doctorum nunc quidem dubitari non potest, quin repetitiones distichorum, quae exstant in libro priore Theognideorum, ita exortae sint, ut eae, quas nunc habemus, reliquiae Theognideae, conscriptae olim sint ex compluribus, duabus certe syllogis, quibus eadem magnam partem fragmenta continebantur, quorum multa ab eo, qui syllogas in unum conglutinavit, bis scripta sunt. H. Schneidewin. (c. l. pg. 37) etiam disticha in appendice de priore libro repetita congessit; attulit eo loco praeter quattuor illa disticha, quae et ego supra commemoravi, duo alia, vv. 1243, 4 et 1353, 4, quas esse repetitiones etsi immutatas versuum 597, 8 et 301, 2 judicavit. Quod non recte eum fecisse existimo. Debuit enim, cum ea attulisset, etiam complura alia addere. Neque Schneidewinus causas attulit, quibus repetitiones illas inter appendicis carmina irrepsisse putandum esset; arbitratus fortasse est causam earum eandem esse atque in libro priore, quod eo mihi indicavisse videtur, quod disticha in appendice repetita eodem modo congessit atque repetitos versus, qui in collectione Theognidea leguntur. Neque primo obtutu quicqam obstare videtur, quominus illud ita factum esse cogitemus. Sed tamen aliter rem se habere ex eis, quae allaturus sum, facile apparebit. Nam primum distichon vv. 1238 a b, quod in libro Theognideo vv. 1151, 2 per se legitur, cum disticho insequenti in unum carmen conjunctum est. Deinde quoniam cujus argumenti sint omnia appendicis poematia, carmine primo atque ultimo perspicitur, atque quattuor illorum distichorum sententiae ita possunt intellegi, quasi pertineant ad rem amatoriam, efficitur certo quodam consilio ea ab auctore collectionis in appendicem recepta esse. Accedit denique, id quod gravissimum esse videtur, quod praeter disticha de priore libro repetita in appendicis versibus permulta leguntur, quae ex eadem illa priore collectione appendicis auctor in usum suum convertit, eaque ejusmodi, ut aut versus cum integri tum plus minusve immutati aut magnae versuum partes aut

sententiae aut denique formulae dicendi et vocabula insignia usurpata sint, quae etiam in fragmentis Theognideis inveniantur, quaeque magnam partem ita sint comparata, ut si quis accurate utramque collectionem perlegerit, fieri non possit, quin statim animadvertat. Ex his igitur, quas attulimus, causis certe concludendum est etiam integra illa disticha de Theognideis repetita consulto ab auctore inter appendicis carmina esse inserta eamque ab rem ut propria collectionis carmina sint tractanda. Simul vero patet omnes editores, cum eos versus in editionibus suis omitterent, non recte fecisse. cf. Hiller., c. l. pg. 450.

Tractavimus supra omnia appendicis carmina eo potissimum consilio, ut omnes eos locos libri prioris, qui quodammodo usurpati esse vel exemplo fuisse nobis viderentur, adnotaremus. Quid vero consequatur ex omnibus eis rebus, non exponamus. Dubitaverit fortasse quispiam, num in parte eorum locorum, quos supra attulerimus, de usu vel recordatione cujuslibet generis omnino possit cogitari; sed, utut est, in his, quos allaturus sim, locis quodammodo fragmenta collectionis Theognideae exemplo fuisse ei, qui appendicis carmina condiderit, tam certum esse mihi videtur, ut eos jam enumerare satis sit:

Vv. 1237, 8 (1095, 6; 1086); 1238 ab (1151, 2); 1242 (504); 1243 (597); 1245 (961); 1247, 8 (325—7); 1257, 8. 1259—62 (213—18, 1071—4); 1262 (1152); 1266 (253). 1267—70 (1157—60); 1271—4 (36); 1278 a—d (1101, 2 945, 50); 1279—82 (325—7; 337); 1310 (466); 1311 (599, 600); 1312 (326); 1318 ab (1107, 8); 1323—6 (343, 765—8); 1328 (1024; cf. 1279, 80); 1333 (958); 1335, 6 (1063); 1337—40 (854); 1349 (25; 191); 1351, 2 (457; 526); 1353, 4 (301); 1356 (124 [201]); 1357 (1023, 4); 1361 (1099); 1363, 4 (101); 1365 (1117); 1367, 8 (209); 1377 (31; 597); 1378 (546; 508); 1379 (1099); 1384 (295). Si igitur hos versus poeta, quisquis fuit, non potest condidisse aut recepisse in appendicem, quin in mente habuerit vel ante oculos fragmenta illa Theognideae collectionis, etiam magnum eorum locorum similium numerum, quas supra ad omnia fere appendicis carmina adnotavi, et quibus, nisi illa alia adessent, comprobari nihil fortasse posse concedo, nonnihil afferre ad sententiam stabiliendam atque confirmandam, appendicem, de qua agimus, non collectionem esse diversorum poetarum diversorum temporum, consilio aliquo ab aliquo auctore congestam.

sed ab uno poeta confectam esse. cf. Hiller., c. l. pg. 470. Nam cum neque sermonis neque versuum neque sententiarum ratione, quominus hoc accipiamus, prohibeamur, cum in multis appendicis carminibus versus legantur, quibus in condendis exemplo fuerint procul dubio versus quidam libri Theognidearum reliquiarum, et quibus omnibus constitutis deinde addi possit maximus locorum similium numerus libri illius prioris, qui ad omnia fere appendicis carmina possint conferri, cum denique, id quod nondum adhuc commemoravimus, certae quaedam sententiae, comparationes, formulae dicendi, vocabula aliae res compluries in appendicis versibus inveniantur, ita ut adamavisse ea quodammodo poetam cognoscatur (cf. vv. 1244, 1261, 1302; 1249—52 et 1267—70; 1270 et 1340; 1279 et 1328; 1299 et 1355; 1303, 4 et 1331, 2; 1264 et 1340; 1335, 1337, 1341, 1369, 1375; 1361 et 1379; 1384 et 1387), fieri non potest, quin conclusionem faciamus uni auctori totam appendicem esse vindicandam. Addo etiam appellatione ὦ παῖ, quam in plurimis appendicis carminibus legimus, conclusionem hanc confirmari posse. Praeterea vero aliud est gravissimum, quod eis, quae modo disputavimus, efficitur. Nam etiamsi auctorem illum appendicis carminum ea, quae in usum suum convertit, fragmenta libri prioris novisse consentaneum sit, tamen ea ex re, quod versibus omnium illius libri partium usus est (ordine enim versus sunt hi: 25, 31, 36, 101, 124, 191, 209, 210, 213—8, 253, 295, 301, 325—7, 337, 343, 457, 466, 504, 508, 526, 546, 597, 599, 600, 765—8, 854, 949—50, 958, 961, 1023—4, 1063, 1071—4, 1095—6, 1099, 1101—2, 1107—8, 1117, 1151—2, 1157—60) intellegi potest totam collectionem Theognideam ei fuisse notam, immo eam ei ante oculos fuisse veri simillimum esse. Cum vero ad hoc accedat, quod appendix subjuncta sit priori collectioni, eundem esse, qui carmina appendicis confecerit et qui utramque collectionem conjunxerit, pro certo haberi potest. Fortasse etiam auctor ille appendicis carminum collectionisque ipsius conglutinandae, qui ipse eam Theognideis subjunxit, collectionem Theognideam in eam fere condicionem redegit, in qua nobis tradita est, conscribens duas illas quae statuendae sunt, syllogas Theognideas atque alia aliorum poetarum fragmenta addens, quam sententiam etiam causis confirmari posse persuasum habeo. Sed cum minus pertineat ad eam materiem, quam mihi tractandam pro-

posui, hoc loco fusius de ea re dicere omittam. Nostrum jam est de ratione originis carminum appendicis collectionisque totius quaerere respectu imprimis habito eorum versuum, quibus in condendis poetae fragmentorum libri prioris versus quosdam exemplo fuisse demonstravimus. Diversae enim ab hominibus doctis sententiae sunt prolatae, quid de locis illis similibus paribusve esset judicandum, factaeque conclusiones de totius appendicis ratione atque consilio, de quibus accurate jam nobis disputandum est. Welcker., qui c. l. pg. LXXX squ. multa egregie de parodiis adnotavit, nonnulla appendicis poematia parodias esse carminum Theognidis. arbitratus est et ea capiti, quod *παρῳδίαι* inscripsit, inseruit. Ut vero Nietzschius Welckeri de ordine fragmentorum adnotationes valere in tota farragine nobis tradita credidit, ita van der Mey. (c. l.) eis, quae olim Welcker de parodiis jecerat, procul dubio commotus „eam partem elegiarum, quae *ἐλεγείων β΄* inscribitur, totam parodiis contineri“ sibi persuasit eisque, ut mihi videtur, fragmentorum libri prioris. Composuit homo doctus in capite tertio commentationis suae ea carmina, quae parodias esse judicat et addidit ea libri prioris fragmenta, quorum parodias esse arbitratur. Cetera vero, quae non attulit appendicis poematia, cur parodias esse sibi persuasisset, non adnotavit. In eis autem carminibus van der Mey. parodias sibi videtur invenisse, ad quae afferre potuit versus pares vel potius similes libri prioris. Horum similium locorum magna pars jam a Welckero, Rinteleno aliis erat inventa et composita, quibus ego in eis, quae supra disputavi, haud ita parvam addidisse mihi videor. Sicut autem in van der Meyi opusculo permulta leguntur mirabiliter scripta de Theognide ejusque reliquiis, ita etiam in tertio capite, in quo de parodiis verba facit, haud pauca perverse exposuit neque causas afferre conatus est pro eis sententiis confirmandis, quae nisi stabilitae atque praemunitae sint gravissimis causis, nemo erit, qui veri similes tantummodo esse censeat. Ita statim duo prima appendicis disticha parodiam esse judicat collectionis Theognideae versuum 1103, 4 et 541, 2. Invocat auctorem parodiae et: „Quid furis“, inquit, „poeta? Non tuo igne ardes, sed alieno, quem petisti ex indignabunda Theognidis versibus“, et tum affert ipsos illos vv. 1103, 4 et 541, 2. Sed equidem omnino intellegere non possum, quomodo fieri possit, ut carmen illud primum ad Amorem

conditum pro parodia habeatur istorum versuum, quibuscum nihil ei commune est, nisi quis forte id signum parodiae esse censet, quod et in carmine appendicis et in illis Theognidis versibus legatur forma verbi ὄλλυμι. Quod si fecit van der Mey., debuit saltem afferre complura alia Theognideorum fragmenta, quibus deinde sescentos aliorum poetarum versus addere poterat. Accedit, quod locus ille Apollonii Argonauticorum, quem supra ad vv. 1231—4 adnotavi, mirabiliter similis est carminis appendicis. An eum quoque van der Meyus, si novisset, pro parodia habuisset? Sed ad alia transeo mirabiliora. Vv. 1327—30 van der Mey. putat parodiam esse versuum 11—14, propter sola verba inter se contraria σοί et ἐμοί, quae et in v. 1329 et in v. 14 leguntur; sed etiamsi ejus sententiam in universum esse rectam concederem, tamen ne eos quidem collectionis Theognideae locos invenisse mihi videretur, quorum parodiae vv. 1327—30 quadam veritatis specie appellari possent; in mente habeo vv. 1, 2 et 1023, 4, in quibus nonnulla re vera sunt, quae apte cum vv. 1327—30 comparentur. Neque aliter judicandum esse mihi videtur de vv. 1305—10, quos van der Mey. parodiam esse censet v. 1177, in quo ne remotissimam quidem similitudinem invenire potui; ille vero versu 1310 ad conjecturam in v. 1177 faciendam utitur. Sed satis sit refutandi singula. Equidem ne ea quidem carmina, in quibus legantur versus quidam plus minusve immutati, qui etiam in fragmentis collectionis Theognideae exstent, parodias illorum ipsorum fragmentorum nominaverim. Consideremus e. c. vv. 1377—80, quibus quomodo magna carminum appendicis pars confecta sit, apte illustrari potest. Hi igitur quattuor versus, si van der Mey recte judicavisset, parodia essent trium libri Theognidearum reliquiarum fragmentorum: v. 37 (597), v. 546 (500), v. 1099. Sed parodiam ita nimis artificiose esse conditam non potest non cognosci. Quamquam versibus illis libri prioris auctori non notis carmen appendicis exortum esse non posse in aperto est. Itaque mihi quidem luce clarius videtur esse versus factos esse ab auctore appendicis, cum in mente haberet locos illos libri prioris; in hoc ille, quisquis fuit, ita erat versatus, ut procul dubio magna, ne dicam maxima fragmentorum pars et auribus et memoriae ejus infixa remaneret. Neque van der Mey. de notione parodiae recte sensisse videtur: loquitur enim e. c. de furto, quod in paro-

diis non licere consentaneum est. Tum ne id quidem intellegere possum, quomodo homo doctus explicaverit, quod integra disticha de collectione Theognidea repetita atque Solonis distichon inter appendicis carmina inveniuntur. Itaque factum est, ut van Herwerden., c. l. pg. 15, cui H. Schneidewin. c. l. pg. 38 assensus est, van der Meyi sententiam de parodiis refutare studeret. Concedit quidem Herwerden., eum, qui appendicis carmina condiderit, saepe verba et voces Theognideas in suam rem convertisse, sed tamen carmina parodias esse appellanda negat; immo eum illis usum esse „tum quo facilius ingenii sui sterilitati occurreret, tum fortasse, ut ista pro genuinis venditaret popularibus suis“. Sed siquidem recte se habent, quae supra demonstravimus, unum esse statuendum auctorem appendicis versuum, qui etiam eam subjunxisset collectioni Theognideae, ea, quae Herwerden. adnotaverit, vera esse non posse patet. Jam vero in eo est, ut nostram ipsorum de originis carminum appendicis ratione sententiam explicemus. Ut breviter repetam id, quod supra confirmare studui, ea ex re, quod integra disticha, versus plus minusve mutati, versuum partes, magna multitudo sententiarum inveniuntur in appendice, quae etiam in fragmentis libri prioris leguntur, et quod appendix collectioni Theognideae adjuncta titulo *Ἐλεγείων β′* nobis tradita est, veri simillimum esse intelleximus, totam appendicem uni auctori esse vindicandam, qui eam ipse cum Theognideis conjunxisset. Omnibus jam rebus accurate perpensis auctorem illum magna parte Theognideae collectionis fragmentorum, quae optime noverat, commotum esse atque concitatum, ut carmina amatoria conficeret, quae postea in collectionem redigeret, suspicor. Fragmentis Theognidis ad Cyrnum conditis omnes fere res, quae pertinebant ad vitam humanam, tractatae erant atque imprimis ex eis intima amicitia poetam omnium vitae rationum peritissimum fuisse conjunctum cum Cyrno, adulescente nobili, quem praeceptis suis esse olim virum *καλὸν κἀγαθὸν* cupiebat, intellegi poterat. Eis igitur fragmentis ad Cyrnum scriptis puto auctorem commotum esse, ut carmina erotica conficeret, et mihi facile intellegi posse videtur, quomodo quis nonnullis eorum ad eam cogitationem consiliumque pervenire potuerit. Nam verissima sunt, quae Welcker dixit (c. l. pg. LXXX): „Gravitas enim facillime provocat ludibrium, et morum praecepta si cui taediosa resonant, tum

serio oppugnando, sed cavillorum facetiis declinari vel procaciter propelli solent: longe maximam autem ad illud genus vim habet jocandi ingeniolique ostentandi innata homini cupido atque voluptas". Itaque appellationem *ὦ παῖ*, quae in plurimis appendicis carminibus legitur, respondere vocativo *Κύρνε*, qui in tot Theognidearum reliquiarum fragmentis invocatur, atque hoc modo satis esse explicatam existimo. Nam pro certo haberi potest cogitandum non esse de certo quodam puero, quocum poeta amore conjunctus fuerit, sed finxit ille ad exemplum Cyrni puerum, ut haberet, ad quem nugae istae eroticae conditae esse viderentur. Quicunque versus, quaecunque sententiae formulaeve dicendi libri prioris aptae ei esse videbantur ad eos versus, quos condere in mente habebat, eis usus est, etiam integra disticha recepit, dummodo eorum sententiae vi erotica possent intellegi. Sed etiam poeseos epicae auctorem fuisse satis peritum, ex multis eis rebus, quas repetivit de illa, quas supra congessimus, apparet. Omnino videtur diu multumque versatus esse in carminibus antiquiorum poetarum atque maxime quidem elegiacorum, ideoque optime ea novisse. Sic id quoque explicari potest, quomodo distichon Solonis in collectionem irrepserit; auctor recordatus est atque recepit et deinde pluries eo ad variandum usus est. Eodem modo comparationum, quae continentur vv. 1283—94 et 1345—8, auctores genuini possunt fuisse poetae antiquiores, Mimnermus fortasse: nam ex eo modo, quo Theognideis usus est auctor appendicis, recte videtur concludi posse aliorum poetarum versus sententiasque eum simili ratione in suam rem convertisse. Qua de causa propter Apolonii illum locum, quem supra attuli, imprimis in carmine primo auctori appendicis exemplo fuisse puto poetae antiquioris versus quosdam simillimos, Mimnermi fortasse, quos etiam Apollonius in versibus suis condendis in mente habuerit. Sane ex omnibus, quas adhuc exposui, rebus atque ante omnia ea ex re, quod multis libri prioris fragmentis adductus est auctor ad carmina erotica facienda, ipseque eorum carminum collectionem Theognideis subjunxit, consilium quoddam parodicum accipiendum esse apparet, quod tamen non ita intellegi volo, quasi, quemadmodum van der Mey. fecit, unum quodque appendicis carmen parodia sit certi cujusdam libri prioris fragmenti. Sed potius ita fere exorta esse haec carmina puto, ut auctor eorum, postquam initio nonnullis libri prioris fragmentis impulsus esset ad

nonnulla singula poematia erotica efficienda, deinde, cum ei placuissent ejusmodi nugae, ad exemplum carminum ad Cyrnum conditorum seriem eorum carminum ad puerum fictum conditorum conficeret, atque postea, quaecunque ejusmodi fecissit, qua in re etiam aliorum poetarum versus in usum suum convertisset, in parvam collectionem congereret atque conjungeret eamque subjungeret in libro suo reliquiis Theognideis, quarum quaedam eum ad eam conficiendam adduxissent. Hac igitur maxime ex re constare mihi videtur consilium parodicum, quod accipi volui. Neque vero dubitari potest, quin ex eo etiam lux spargatur in quaestionem illam, quomodo factum sit, ut in duobus carminibus *Κύρνος* et *Σιμωνίδης* invocarentur. Nam siquidem multa collectionis Theognideae carmina, in quibus saepissime *Κύρνος*, bis *Σιμωνίδης* invocatur, auctorem appendicis ad nugas istas faciendas concitaverunt, consilio parodico etiam tribuenda sunt ea duo appendicis carmina, in quibus invocationes Cyrni et Simonidis leguntur, atque consilium parodicum in universum accipiendum esse comprobant. Ut omnia cetera, sic etiam hi duo vocativi procul dubio appendicis auctori, qui statuendus est, vindicandi sunt. Versum 1349 exortum esse non posse, nisi auctore in mente habente duos illos prioris libri v. 25 et 191, consentaneum est; fortasse etiam, quoniam recordaretur illos versus, in v. 1349 conficiendo invocationem *Πολυπαΐδη* adhibuisset appendicis auctor, nisi versus ratio impedimento fuisset; quod cum ita esset, nomine Simonidis, quod item non numquam legi in libro priore haud ignorabat, usus est. Neque in vv. 1353—6 res aliter se habet, quorum dicendi ratio Theognidis est simillima: nam praeter versum primum et ultimum cum disticho altero, quod ad compositionem attinet, apte conferri possunt libri prioris vv. 509, 10, qui multa habent cum eis communia, ita ut his quoque versibus sententia confirmetur, singula appendicis carmina non esse parodias certorum quorundam libri prioris fragmentorum, sed omnia illius collectionis fragmenta auctori, quippe qui diu multumque in eis versatus esset, notissima fuisse, ita ut, quaecunque in appendice inveniri possint, quae ejus auctor ex collectione Theognidea in suam rem converterit, cum ea recordaretur, consulto in carminibus suis conficiendis adhibuisse accipiendum sit.

Restat, ut paucis ostendam, quo tempore appendix nata esse videatur. Vidimus jam in eis, quae supra de sermonis.

versuum componendorum, sententiarum ratione exposuimus, carmina appendicis videri confecta esse ante Alexandrinorum tempora. Quoniam vero auctori appendicis collectionem reliquiarum Theognidearum eam fere, quae nobis tradita est, fuisse ante oculos atque eum ipsum appendicem collectioni illi subjunxisse intelleximus, hanc quoque jam eo tempore, quo appendix sit confecta, exstitisse necesse esse patet. Sed quo tempore Theognidis fragmenta in eam fere, quam nunc habemus collectionem congesta sint, dificillima est quaestio, quam saepe homines docti diversissimis rationibus absolvere conati sunt. Termini enim mille fere anni sunt. Nam cum Welcker. eumque secuti alii nonnulli de Byzantinorum temporibus cogitaverint, fuerunt, qui temporibus admodum antiquis syllogam factam esse arbitrarentur. Atque eorum quidem primus fuit Bergk., qui in Mus. Rhen. vol. III et deinde in PLG vol. II, pg. 234 squ. (ed. IV) sententiam suam confirmare studuit, quae etiam Hillero et Clemmio (in cens. ed. novissimae Bergkii, Fleck. Jahrbb. 1882 pg. 1 squ.) probata est. Plerumque homines docti ita quaestionem tractaverant, ut ex ea ratione, qua Athenaeus, Julianus, Stobaeus alii de Theognide ejusque scriptis verba facerent, syllogam Theognideam nobis traditam aut non exstitisse aut exstitisse eis temporibus, quibus scriptores illi floruerunt, concluderent. Sed Hiller rectissime dixit (c. l. pg. 468) ea ex re, quod scriptor quidam de Theognide ejusque carminibus ita judicavisset, ut ei syllogam nobis traditam non notam fuisse appareret, collectionem eam nondum exstitisse concludi non debere, quoniam nihil nisi scriptorem illum eam non novisse efficeretur. Ita apte homo doctissimus addit: „Das heißt also: wenn die Redaction in irgendwelchen Bibliotheken und in irgendwelcher Zahl von Exemplaren existierte, so muß sie auch jedermann gekannt haben!“ Nihil igitur obstare videtur, quominus collectionem temporibus admodum antiquis esse congestam cum Bergkio et Hillero arbitremur. Quae sententia nonnihil confirmatur Platonis loco, de leg. VII, 810 E, quem Bergk. attulit, quo jam eis temporibus ejusmodi collectiones exstitisse efficitur, deinde vero maxime appendice, qua Hiller primus ad hanc sententiam comprobandam usus est. Itaque Platonis fere temporibus appendix confecta atque Theognideae collectioni esse subjuncta videtur. Haud ita multis eam sane fuisse notam, propterea quod apud florilegiorum auctores aliosque scrip-

tores nullum ex ea versum allatum invenimus, pro certo haberi potest. Quomodo factum esset, ut usque ad haec tempora servaretur, Hiller. docuit: „Durch einen jener Zufälle, denen wir so manches mittelmäßige Product verdanken (man denke z. B. an das 3. Buch des Tibull) hatte sich bis in die Kaiserzeit ein Exemplar der Hauptsammlung mit beigefügtem Schlußtheil erhalten, der Archetypus unseres Textes. Die Entstehung der im Mutinensis befindlichen Überschriften *Θεογνίδος ἐλεγείων α´* und *ἐλεγείων β´* ist unter der angegebenen Voraussetzung leicht erklärlich. Im Archetypus X ist dann der Schlußtheil, aus sehr begreiflichem Grunde, weggelassen worden."